



PETRUS IOSEPHUS

^e
MULLER

SACERDOS VETERIS MONTIS

ORD: CISTER:



L

UNA

LIGICA, M

P

DEO O

ERAN

ZEE

CONGREGATIONE

DONE PRESENTI

METASOTY,

PRIMA PH

FULLIC

NO

GODEFR

BA

LOGICE, MET

IN ORDINE

HEIDELBE

in Aula

ap: Joannis Bap:

LOGICA
CONTRACTA

QUAM
UNA CUM SELECTIS

EX

LOGICA, METAPHYSICA & ETHICA
POSITIONIBUS

DEO OPT. MAX. AUSPICE

PRAESENTE

FRANCISCO ANTONIO

ZIMMERMANN,

CONGREGATIONIS PALATINAE CLERICORUM DE MIS-
SIONE PRESBYTERO, PHILOSOPH. DOCTORE, LOGICES,
METAPHYS. AC ETHICES PROFESSORE PUBL. ORD.

PRO

PRIMA PHILOSOPHIAE LAUREA

PUBLICE DEFENDENDAM SUSCEPIT

7419856
NOBILIS AC ERUDITUS

GODEFR. FERDIN. SCHIESS,

BACCHARACENSIS

LOGICES, METAPH. ETHIC. AC MATHES. AUDITOR,
IN ORDINE DEFENDENTIUM PRIMUS.

HEIDELBERGAE DIE AUGUST. 1782.

in Aula Academica horis conuentis.

Typis Joannis Bapt. Wiesen, Universit. Typographi.

Phil.
425
24

NOMINA DEFENDENTIUM.

- I. GODEFRIDUS FERDINANDUS SCHIESS, Baccharacensis.
 - II. STANISLAUS SCHMITT, ex valle Speciosa.
 - III. JOANNES PETRUS GNUVA, Heidelbergensis.
 - IV. ANTONIUS PHILIPPUS BOBIN, Mariævallenfis. s. c. c.
-

P R O L U S I O N E S.

- I. *Quis litterarum humaniorum cum Philosophia nexus?*
 - II. *An illæ tradi cum fructu valeant a Doctore hujus ignaro.*
-

1402 767 01

UUM.
NDUS
ITT,
UVA,
OBIN,

1 Philo-
nt a Dottore

S E R E N I S S E M O
AC
POTENTI S S I M O
S. R. I.
P R I N C I P I
AC
DOMINO, DOMINO
C A R O L O II,

COMITI PALATINO AD RHENUM, BAVARIAE, JULIAE,
CLIVIAE ET MONTIUM DUCI, PRINCIPI MOERSIAE,
COMITI VELDENTIAE, SPONHEMII, MARCHIAE,
RAVENSBERGAE ET RAPPOLTSTEINII, DYNASTAE
IN RAVENSTEIN ET HOHENACK &c. &c.

C E L S I S S I M O R U M AC I L L U S T R I S S I M O R U M O R D I N U M
E Q U E S T R I U M , P A L A T I N I D E S A N C T O H U B E R T O

E Q U I T I I ,
B A V A R I C O R U M D E S A N C T O G E O R G I O
M A G N O P R I O R E ,
E T D E S A N C T O M I C H A E L E
M A G N O M A G I S T R O ,

S E R E N I S S I M I A C P O T E N T I S S I M I P R I N C I P I S E L E C T O R I S
P A L A T I N I S U P R E M O M I L I T I A E P E D E S T R I S L O C U M T E-
N E N T I , L E G I O N U M P A L A T I N A E , & S. R. I. C I R C U L I
A D R H E N U M S U P E R I O R E M , P E D E S T R I U M C H I L I A R C H O
E T P R O P R I E T A R I O , E L E C T O R A L I S , Q U A E E S T L U T R A E ,
S O C I E T A T I S P H Y S I C O - O E C O N O M I C A E P R A E S I D I ,
L E O N I S P A L A T I N I E Q U I T I &c. &c. &c.

D O M I N O ,
D O M I N O M E O L O N G E C L E M E N T I S S I M O .

Jan
m

papilla rei n.

1

bernat, C.

phenyl, H

G. de S. DUT

H. C. & P.

Cambridge

fibres and

100

Cefalaris in

四

Er ha

PUMA & VENOM

SED FA

SERENISS.

SERENISSIME,
AC
POTENTISSIME PRINCEPS,
DOMINE, DOMINE
LONGE CLEMENTISSIME!

Non prius desinet humanum genus in malis versari, quam quum homines recte vereque philosophantes gubernacula rei publicæ adepti fuerint; aut qui gubernant, divina quadam sorte vere philosophentur, Platonis effatum est; idque verum; si de ea Philosophiæ parte accipiatur, quæ non tam in aucupandis subtilitatibus, quam veritatis ad publicam salutem promovendam necessariis in usum deducendis occupatur.

Et hæc quidem Philosophiæ pars præcipua & vere Principalis quam Illustrem in TE SERENISSIME PRINCEPS AC DOMINE

Defensorem, Promotorem, Cultorem, ac Me-
cænarem invenerit, totus jam literatus orbis
agnoscit & miratur. *Defensorem* quidem;
quum Academiæ Physico-Oeconomicæ, in Pa-
latinatus bonum feliciter efflorescentis, Præsi-
dium suscipere non es deditnatus: *Promoto-
rem*; quum ad præjudicia hominibus plebejis
eripienda, experimenta rei tum agrariae; tum
pecuariæ emendationi necessaria, jam olim
Rohrbaci in confiniis nostris prudentissime in-
stitui cepta, in omnem nunc ditionem TUAM,
eadem in Monte CAROLINO, Tusculano
vere philosophico, felicissime amplificando,
liberalissime propagas, & sic exemplo Illustri-
fimo

ac Me-
s orbis
quidem;
e, in Pa-
is, Pref.
Promoto-
us plebejs
rariae; tun-
jam olim
ptissime in-
em TUAM,
Tufulano
apificando,
plo Illustre-
fimo
simo subditam tibi gentem inveteratum, con-
tra nova quælibet, utut fructifera, recalcitrant-
di Caccœthes Pater amantissimus dedoces, sic
sine sumptibus sapere doces, & ad practice phi-
losophandum ut placidissime invitas, sic suavi
violentia permoves, Dædalus ingeniosior non
statuas, aut corpora, sed homines, hominibus
mentes, mentes Philosophicas efformans: *Cul-
torem*; quum omne, quod a gravissimis gubernan-
di negotiis supereft, tempus, ipsam adeo auro-
ram antevertendo, innocentibus totius naturae
deliciis hauriendis impendis. Cui autem sola
natura placer, hic enim vero solus veri Philo-
sophi nomen jure optimo promeretur. Et

Principem Philosophorum nunquid non prædicemus eum, qui ita ad nutum quemlibet ancillari naturam cogit, ut vix non omnibus, arte ipsam superasse, sagacissimis tantum eam saltim sibi vectigalem omnino habere videatur? Hic, si fandi copia foret, & sapientia TUA tuorum non duntaxat utilitati, sed exterorum etiam ostentui laboraret, campus mihi pateret amplissimus, in quem verbis excurrendo prolixius ut recreare suavissime alios, sic cogitando intimis tenerrime gaudiis perfundi ego valerem. Ast primum Philosophica mista Principali gravitati modestia prohibet; alterum humanissima cumulatim largita jam fuit Clementia

tia

on præ.
libet an-
omnibus,
ntum eam
e videatur/
entia TUA
d exterorum
mili patere
urrendo pro
, sic cogita-
fundi ego ve-
ca multa Prin-
t; alterum hu-
fuit Cleme-
ra

cia, Clementia eadem, qua Elementario mihi literarum humaniorum Candidato, earum in terris TUIS, ipsaque adeo urbe Principe tirocinia ponere, Principalem TUUM adspectum subire, suavissimo frui adloquio, & vitae morumque monita haurire saluberrima, amabilissime indulgebas: Clementia, qua nunc ab Elementario Philosopho Princeps Philanthropus prima Philosophiae statmina offerri, gratosissime pateris, Philosophorum Mecænas hoc uno ex innumeris aliis argumento gloriosissimus.

Hæc ipsa vero Clementia stimulus etiam mihi erit perennis, venerandi in dies singulos
sub-

submissius virtutem TUAM vere Philosophicam, exequendi exactius, quæ coram accipere licuit, pietatis & diligentiae incitamenta, demerendi studiosius gratiam hanc mihi sane Amplissimam

**PRINCIPALIS
SERENITATIS TUAE**

SERVORUM INFIMO
**GODEFRIDO FERDINANDO ALEXANDRO
SCHIESS.**



C A P U T I.

Notiones præviæ.

§. 1.

Philosophia ex potestate vocis *sapientiæ amore* signifi-
cavit. Primus omnium Philosophum se dixit Py-
thagoras, quum Leonti Phliasiorum Regi, qua potissi-
mum arte consideret, quærenti, responderet: *se artem*
quidem scire nullam, sed esse Philosophum. Antiquiores
Sophi adpellari maluerant, i. e. sapientes; ast superbum
hocce nomen forte respuit demissior Pythagoræ ani-
mus, aut altior commune nihil habere voluit cum ge-
nere hominum, ista jam aetate, bonis omnibus de-
specto.

§. 2. Ast quam vagum ab initio fuit *sapientiæ*
nomen, & quam varia illius acceptio; tot pariter for-
mas induere Philosophia debuit, modo pro vastissimo
scientiarum omnium adparatu, modo pro determinata
quapiam una, aut pluribus scientiis usurpata. Nec
nostra etiam ætate eruditis idem Philosophiæ conceptus

A

est;



est; quin sunt adeo, quibus definiri eam, aut supervacaneum, aut omnino non posse videtur.

Consule Brucker Hist. Phil. in præfat. Michael Hissmanni Briefe über Gegenstände der Philosophie I. bis 6. Brief, & passim Philosophorum libros ac compendia.

§. 3. *Scientiam veri, pulchritudine ac boni, aut oppositi, in naturalibus rebus, experientia & meditatione, cognoscendi, inveniendi & communicandi Philosophiam dico.* (a) Sic enim satis a reliquis scientiis ac artibus distinguitur, objectaque habet sibi propria *hominem*, aut *res huic externas*. In Partes igitur duas generalissime dividitur. (b) Pars illa, quæ de homine tractat, vel versatur circa Corpus specialius, & præter vires naturaliter ipsi competentes, etiam lœsis illis restituendis studet, ac *medica scientia* audit; vel in animi humani naturam inquirit, & *Psychologia* dicitur. *Psychologæ* istius pars una intellectum respicit, atque hunc ad verum dirigit; hæc *Logica* dicitur: pars altera voluntatis naturam ac regimen explicat, & *Philosophia practica* appellatur: utriusque ad finis est, *Aesthetica* seu *scientia facultatem sensitivam in cognoscendo, applicandoque pulchro dirigens*: (c) Pars illa, quæ de externis homini agit, aut considerat ea, quæ in sensu incurruunt, & *Physices* nomine venit; aut contemplatur ea duntur, quæ solo intellectu concipiuntur, adeoque *intimas*

verum

* = = = = *

rerum essentias, elementa simplicissima, spirituum naturam, Deum, illasque naturae leges, quæ mundo visibili atque invisibili communes sunt, & hæc vocabulo scholis solenni *Metaphysica* nominatur; in utraque hac parte vel solas rerum causas scrutaris; vel earum pariter quantitates pernosse cupis: ad ultimum fida directrix erit *Mathematica*.

a) Qui Philosophiam definiunt scientiam rationis sufficiens eorum, quæ sunt, vel sunt, aut esse, fierique possunt, nisi definitionem suam ad capita supra recensita, modumque restringant, *Pansophiam*, non Philosophiam definiverunt. Conf. Hissmann. l. c. Qui eam veri, bonique naturalis cognitionem dicunt, Philosophiam practicam theoretice nimis definire, & Aestheticam Philosophiæ non adnumerare videntur.

Hanc Philosophiæ divisionem minime novam esse, ex Cl. Cl. Federico, *Ræfæro*, *Bæsedorio* abunde patet, quin jam diu *Stattler* vota fuere, ut in formam ejusmodi redigeretur.

c) Quid Aesthetica ad reliquam Philosophiam conferat, quomodoque illi jungenda sit, omnium solidissime ostendit *Henricus Homeus* in seinen Grundsäzen der Kritik.

§. 4. Quum ergo Logica pars sit Psychologia, ipsa vero Psychologia sub Anthropologia contineatur: sequitur primam tractari legitime non posse sine prænotionibus Anthropologicis.



Coroll. Ex hisce patet, quid sentiendum sit de crisiis in eruditorum Ephemeridibus haud raro occurrentibus, quies modum Logicorum carpunt, has ipsas notiones Logicæ traditæ præmittentium. *vid. Loffus neueste philosophische Litteratur.*

§. 5. Homo physice spectatus est compositum ex corpore & anima. Quodsi enim corpus sit compositum materiale, seu constans partibus, quoad modifications suas reales inter se connexis, quæ singulæ jam materiales, seu localiter extensæ sunt, & elementis constant, vi attractiva & repulsiva præditis; experientia quotidiana nos de hac compositi humani parte, *corpore* videlicet, reddit quam certissimos.

Coroll. Corpus igitur humanum gaudet omnibus adtributis corporibus aliis communibus: quare

a) Localiter extensum est, seu partes habet extra se invicem positas, sibi tamen coexistentes.

b) Divisibile est, seu in partes ex quibus componitur, resolvi potest.

c) Viribus gaudet tum activis, tum passivis, seu facultate, mutationes in aliis entibus aut efficiendi, aut ab aliis in se factas recipiendi.

d) Omnis illius actio consistit in motione, sine qua nulla accideret in ente extenso mutatio. Vis igitur activa & vis motrix eadem est omnino vis in corporibus, quæ pro vario se exferendi modo varias denominations accipit: quatenus corpora alia a loco, in quo est, aut ad quem

quem tendit, repellere valet, *vis repulsiva*: quatenus illa ad accessum mutuum determinare potest, *vis adtraffixa*: quatenus in motu constitutum agit in corpora quiescentia, aut tardius mota, *vis motrix simpliciter*: quatenus quiescens aut tardius motum reagit adversus alia corpora in se incidentia, *vis inertiae audit*.

e) Denique grave impetrabile &c. est. *Vid. Unzers* erste Gründe einer Phystiologie in der Einleitung.

§. 6. Inter varias corporum divisiones illa tantum hic loci consideranda venit, qua in *mechanica* (Maschinenmäßige) & *organica* (Organische oder mit Werkzeugen versehene) dispescuntur; Quæ vi compositionis suæ naturalis ad peculiares actiones producendas apta sunt; *organica*: quæ vero vi compositionis tantum artificialis ad certos effectus producendos habilia, *mechanica* dicuntur.

* De Corporibus mechanicis specialis in Physica tractatio est: organica tantum in praesenti materia respiciuntur, plantis duntaxat & animalibus propria.

§. 7. Corpora capacia ponendi actiones, quæ non juxta Physicas motuum leges corporibus aliis communes explicari possunt, sed a principio quodam interno repeti debent, *corpora animata* (besetzte oder thierische Körper) vocamus. Quodsi principium ejusmodi actionum corporis internum facultate distincte cognoscendi, seu cogitandi gaudeat; spiritus appellatur. Quum igitur homo, teste experientia facultate gaudeat



cogitandi, anima, eaque spirituali seu mente prædictus est.

C A P U T II.

De idearum origine & diversitate.

§. 8.

Cogitationes hominis omnes vel sunt simplices rerum perceptiones, vel ad sensus duarum ejusmodi rerum antea simpliciter cogitatarum, & comparatarum identitati aut distinctioni, immediate, vel immediate praestitus. Ostendo igitur, quomodo mens nostra legitime adquirere possit ideas, judicia, & ratiocinia, seu adquisita dijudicare, & communicare aliis; Logica est absoluta (§. 3.)

Scholion. 1. Cartesius, totam naturam & essentiam mentis in eo tantum consistere voluit, ut actu cogitet, & sine cogitatione non esse rationem, cur mens nostra existet. *Vid.* ejus *Dissert. de Methodo*. *Celeberrimus vero Lockius solilicissime confutavit hanc opinionem* 2. *B. I. S. des Versuches vom menschlichen Verstande.* *Quum enim ipse Cartesius Princip. Phil. P. I. §. 9.* Cognitionis nomine intelligat illa omnia, quæ nobis consciis in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis Conscientia est: nemoque meminisse queat, mentem suam ab ipso existendi exordio continuo cogitasse; mirum est, qui Cartesiani illud compererint. Et cui usui essent cogitationes ejusmodi, quarum in posterum nulla reminiscientia foret?

Scholion. 2. Pronum ex hac sententia fuit, ut mens nostra, antequam sensibus adquirere possit, materiem cogitandi

tandi in se ipsa haberet, admittendas esse ideas quasdam innatas, seu imagines rerum menti nostræ continuo præsentes, illique ab Auctore naturæ impressas. Concesserunt in hanc sententiam mitiori aut rigidiori propositam modo *Plato*, *Leibnitius*, *Malebranchius*, *Spinoza*, *Theosophi fanatici*, &c. vid. *Dalham* *dissert.* de *multiplici rat.* cogitandi. De *Cartesio*, eusque adseculis res est dubia. Jam enim admittere videtur imagines ejusmodi rerum menti ab ipso ortu inditas, jam per ideas innatas nil aliud intelligere, nisi facultatem repræsentandi nobis esse congenitam, non vero ipsas ideas. Vid. *Clauberg* P. 2. op. phil. exercit. 5. *le Grand* *instit. phil.* P. 2. C. 2. *Van Til.* *Theol. nat.* C. 3. *Storchenau.* *Psych.* P. 1. S. 3. C. 3. §. 214. *Renat.* *des Cartes* *dissert.* de *Methodo Art.* 4. ibi aperte fayet ideis innatis, in notis tamen ad programma quoddam anno 1647. in Belgio editum, & quidem ad propositiones 12. *Mens non indiget ideis, vel notionibus, vel axiomatis innatis: sed sola ejus facultas cogitandi ipsi, ad actiones suas peragendas sufficit.* & 13. Atque ideo omnes communes notiones, menti insculptæ, ex rerum observationibus, vel traditione originem ducunt ac 14. *Immo ipsa idea Dei menti insita, est, vel ex divina revelatione vel traditione, vel rerum observatione.* Ita mitigat sententiam suam, ut vix non in oppositam abeat. vid. *Epistolarum Cartesian.* P. I. ep. 99.

§. 9. Idea (eine Vorstellung) sensu lato accepta a Philosophis dicitur, rei cuiusdam repræsentatio in mente facta. Si objectum illius, circa quod versatur, consideraveris, vel res sunt sensibiles, vel insensibiles. Ostensio igitur, quomodo mens nostra ideas objectorum insensibilium, & sensibilium adquirere possit; palam erit, ideas innatas inaniter statui.



Scholion. Quemadmodum imago ab intuitu in illam differt; sic etiam differre ideam a perceptione (Gewahrnehmung) existimo.

§. 10. Quum mutationes, quæ nobis quoque modo accidunt, percipimus; *sentimus*. Sensio itaque est, mutationis præsentis perceptio. Mutationum aliae in nobis a rebus externis adveniunt; & *externæ*: aliae ab ipsa interna vi quadam animæ, aut corporis in nobis contingunt; & *internæ*: aliae denique mentis ipsius affectionum perceptiones sunt; & *intima* vocantur. Sic perceptio soni *externæ*; famis *internæ*; gaudii *intima* est. Facultas igitur sentiendi secundum hanc divisionem triplex in homine statui debet, *externa* videlicet, *interna*, & *intima*.

§. 11. Corporis humani partes ab objectis externis impulsæ, & eorum sensum efficientes, *instrumenta sentiendi*, aut *organa sensoria* dicuntur. Pro varietate modorum, quibus res externæ corpus adficere, & vis animi sentiens versari in rebus cordoreis sentiendis potest, quinque ejusmodi organa statuuntur, videlicet *Vitus*, *Auditus*, *Gustus*, *Olfacitus* & *Tactus*.

Scholion. I. Sunt quidem, qui plura velint esse organa sensoria; ast illos refutat Boeckus in *dissert. de sens. hom. extern. perfect.* §. 9; quia frustra quærerentur organa illis apte respondentia, & quia omnia, pro quibus speciale organon voluerint, ad sensum tactus referri debent.

Sche-

Scholion. 2. Minores fasciculi medullæ ex cerebro & cerebello per diversa foramina crano exeunt, & per corpus diffusi, nervi adpellantur. *Hallerus eos Prim. lin. Physiol. C. 12. §. 370.* sic describit; *Nervi fasciculi sunt medullosi, in origine molliissimi, facti fibrarum funiculis distinctis, rectis, parallelis.* *Si* funiculi post aliquem progressum, pia matre obduci, rubella, firmula in magis constantem fasciam uniuertur, atque divisi, vicinique ad suum in dura matre foramen properant, per ejus canales, & intervalla decurrent, donec foramen in crano reperiant, & per infundibulum duræ membra naexeant. *Elapsus ex crano nervus plerumque dura matre cingitur, & robustus fit & solidus.* *Sic in optico quinto, aliisque fit, nam in aliis nulla dura membrana satis certo nervo circumdatatur, ut in auditorio molli, olfactorio, nervo intercostali.* *Nudus nunc, interque musculos minus defensus nervus, funiculos suis constituentes habet, quibus sua medulla est, suaque involvens pia mater.* *Hujusmodi minimi funiculi in alios maiores convenient, quos multa cellulosa tela unit, per quam arteriola & venulae plurimæ decurrent, & nonnunquam adeps ipse effunditur.* *Universale vero involucrum funiculis omnibus dura aliqua cellulosa tela præstat, quæ contineat omnes, & in unum nervum uniat.*

Scholion. 3. Omnem sensationem in corpore humano ope nervorum effici, experimentis anatomicis evictum est certissimum. Nervo enim quodam sensorio vitiato, læso, effecto, aut quovis alio modo sublato, vitiatur, minuitur, tollitur, omnino sensio: quodam illorum intercepto cessat inferius sensio. Plura experimenta in hanc rem facientia reperire est in *Histoire de l. Acad. de l., ann. 1741.* apud *Boerbav. instit. med. t. 2. & 4.* *Haller in notis ad Boerbav. t. 4. instit. med. prælim. n. 568.* *Prim. lin. Physiol. a §. 378.* *Unzer physiologie.* *Hissmann. I. c. & Physiologos passim.*

Scholion. 4. Quomodo autem nervorum ope quævis sensatio fiat; controversia plenum est. Objecta externa inde-



in debita distantia uni aut pluribus sensibus congruis, iisque sanis applicata, impressionem in illos facere, hancque impressionem ope nervorum ad cerebrum usque, seu animæ, quam interim supponere liceat, sedem propagari, inter omnes convenit; ast an propagatio ista ope membranæ nerveæ, aut motus vibratorii aut fluidi cuiusdam nervi fiat, disceptatur. Prima sententia fuit *Cel. Leibnitii Mariotte & le Cat.* ast membrana nervea desinit in extremitatibus nervorum, non igitur propagatio per eam fieri potest. Alteram defensam vide apud *Hissimum* l. c. Verum Phænomena nervorum vulneratorum, origo molliis & medullaris in aliquibus nervis continua, revinctio quorundam ad duras partes huic tremori quam maxime obstat evidentur. *vid. Haller* l. c. §. 387. & sequentibus. Ultima igitur de fluido nerveo sententia huic propagationi explicandæ adcommodatior videtur. Fluidum enim quodvis celerrimæ propagationi aptissimum esse ex ipsa figura particularum primigeniarum globosa conficitur, & admodum probabile fit per globulos una serie plurimos ex filamentis suspensos, quorum si primus adducitur, & versus vicinum impellitur, citissime determinationem ad motum communicat, quod ex ultimo mox a ceteris resiliente ad oculum patet. De qualitate hujus materiae, uti & vasis secretoriis. Vide *dissert. de mat. nerv. secretione a Jano Erlangæ defensam.*

§. 12. Inter sensus primus omnium tactus venit. Organon istius papillis, fibrisque nerveis per totum corpus diffusis constituitur. Tactio videlicet fit; quum res tractabiles ad molles corporis nostri partes quascunque admotæ, ad pulsu suo & frictione fibras illas, papillasque adficiunt. Ex diversis corporum contre-

stanto-

standorum modis diversæ pariter ideaæ in nobis eveniunt. Sic quum corpus quoddam digitis aut alia corporis parte premimus, & insuperabilem illius ulterius comprimendi resistantiam sentimus; ideam soliditatis & fluiditatis: quum manus aut alias corporis partes per corporum superficies traducimus, asperitatis lenitatis frigoris &c. ideas adquirimus. Paucis optime hic sensus servit ad extimas corporum superficies explorandas.

Scholion. A singulari & speciali corporis nostri statu ac conditione illo ipso, quo tactus experimentum capimus, tempore, aut ex tactu immediate præcedenti non raro subsequentis conditio dependet. Sic ex calidiore cubiculo temperatum ingressi, frigidum illud putamus: contra calidum; si ex frigidiore loco illuc fuerimus delati.

§. 13. Gustus organon præcipuum est lingua ejusque membrana pulposa, quæ magna papillarum copia instructa est. Gustatio fit; quum papillulæ istæ irritantur particulis corporum oleosif aut salifis. Omnem autem gustationem inde oriri, ut ut varia sit, patet ex solutione corporum in corpuscula primigenia, quæ modo globosa, modo acuminata, modo hac, modo alia figura adparent. Globosa leniter, acuminata acriter se se insinuant in papillulas istas. Saporum diversitas quadruplici potissimum modo internoscitur, scilicet acredine seu saltitate aciditate dulcedine & amaritudine.



§. 14. Odoratus instrumentum primarium nascis est; idque vel maxime in membranulis ac cuticulis, sinus & recessus illius interne vestientibus. Obtinetur autem odor a motu per particulas e corporibus odoriferis egressas in dictis membranulis & cuticulis excitato. Proprias odoris denominationi voces linguae usitatae nesciunt, hinc illi discernendo vocabula vel ab ipsis corporibus vel a saporibus mutuamur. Subsidium sibi mutuum praestant hic & prior sensus, arte propterea inter se adfines.

* Pharmacopolis, oenopolis coquis & ejusmodi hominibus rerum sapidarum & odoriferarum mercatoribus potissimum prodest utriusque hujus sensus perfectio.

§. 15. Auris auditui inservit. Aer scilicet a corpore sonoro impulsus, & tremefactus, tremorem hunc particulis vicinioribus communicat: istæ rursus aliis; usquedum commotus fuerit ille, qui in meatu acustico auris continetur, & versus nervosum illius tympanum impactus auditionem exciter. Ex comparatione sonorum existit sonus, cuius varietas a copia & celeritate particularum trementium, intraque aurem se se comunicantium dependet. Ex proportione & relatione plurium tonorum simul perceptorum, ideæ generales de harmonia & disharmonia oriuntur. Diversas sonus etiam

etiam denominationes habet a rebus a quibus proficitur. Sic dicimus tonus argenteus tibiae &c. singulare prorsus haic sensu est, quod stupefactis etiam auribus non tamen omnino intereat.

§. 16. Per oculos videmus; quum scilicet radii ab objectis spectabilibus egressi, perque tunicas humoresque vitreum & crystallinum varie fracti, tandem in retina coeunt, ibidemque rerum objectarum imagines depingunt; quas dein ad se delatas intuitu suo anima percipit. Hujus sensus ope idea lucis, colorum & variorum objectorum formarum adquiruntur.

Scholion. Ratione hujus sensus adverti sequentia possunt


a) Omnia, quæ oculus percipit nil aliud sunt, nisi vibrationes particularum lucidarum.

b) A diversa celeritate, qua particulæ istæ lucidæ adversus oculum vibrantur, colorum quoque diversitas dependet. Quo celerior fuerit vibratio earundem, eo vivacior erit color.

c) Imaginis cuiusdam de aliquo objecto magnitudo a magnitudine anguli dependet, quem radii ab extimis Corporis partibus in oculum illapsi, efformant; hinc quo quid remotius, eo etiam minus videtur.

d) Quum radii omnes in oculo franguntur; a situ rotunditate & diametro humorum repetenda est diversitas oculorum modo ad distantiam longiorem, breviorem modo pervidentium.

Corollarium. Ex haec tenus dictis fluit (a) omnes ideas rerum sensibilium ope sensuum adquiri, seu omnem sensiōnem



nem fieri ope nervorum. (b) Ut sensio autem ejusmodi existat requiri.

1. Ut objectum externum agat in organon sensorium proportionatum.

2. Ut actio illa seu impressio in organo sensorio proportionato ab objectis externis facta, ad cerebrum, illiusque sensorium commune propagetur.

3. Ut mens nostra ad impressionem, sic factam, adtentata, seu illius sibi conscientia fiat.

Nulla ergo cognitio rerum sensibilium sine organis proportionatis, & omnis illorum ope adquiritur: non igitur necessum est, ad imagines ab ortu impressas refugere, ut originem idealium sensualium explicemus. Optime veritas adsertorum haec tenus in infantibus, varias successive ideas obtinenteribus, ostendit potest. Legi in hunc finem præter *Lokium* in hac materia facile principem a Candidatis possunt *Searchii Licht der Natur*, *Steinburtii Vernunftlehre*, *Storchenau*, *Zallinger*, *Burckhæuser* &c.

§. 17. Subinde fit, ut impressiones ab objectis externis in organa sensoria factæ, objectis etiam remotis perdurent aliquantulum: sic intento aspectu in sole aliquamdiu, etiam abductis ab illo oculis, quedam imaguncula illius obversatur. Perceptiones ejusmodi mutationum præteriorum, quatenus cum rei præsentis sensione proxime conharent, a Philosophis vel contemplationes (*Beschauungen*) vel sensiones subsequentes (*Nachempfindungen*) adpellantur: has itidem ideas a sensibus dependere, ex ipsa definitione patet.

§. 18.

§. 18. Sæpius etiam repræsentamus nobis res, quæ in his adjunctis, in quibus positi sumus, nostros sensus non adficiunt; sed vel ope sensuum olim *mediate* vel *immediate* perceptæ fuerunt. Ejusmodi res vocantur *phantasmata*, idæ illarum, *phantasticæ*, facultas, ejusmodi ideas ope sensuum immediate olim vel *mediate* habitas reproducendi, *phantasia* seu vis *imaginandi*, ipse actus, quo ejusmodi ideas olim habitas reproducimus *imaginatio* dicitur. Ex hac definitione perspicuum pariter fit, ideas omnes phantasticas sine sensuum ope adquiri non posse.

Scholion. 1. Non tantum ideas sensuales olim habitas, sed ipsas etiam conscientias a nobis reproduci posse, experientia certum est. Posterioris generis *Phantasmatum Philosophi pura* seu *intellectualia*: prioris, *impura* seu *sensilia* adpellant. *Vide Canzii dissert. de facult. imaginandi iusu & abusu. Stattleri op. amplior. Psychol. C. 2. a. 3. §. 87.*

Scholion. 2. Lex *Phantasie* triplex est potissimum, scilicet: 1. *similitudo*, 2. *simultaneitas temporis*, & 3. *succesio continua*, ita quidem; ut, si habeamus ideam olim conceptis similem, aut simul cum eis conceptam, aut immediate olim conceptas precedentem, omnes illæ idæ, hac unica rursus percepta, tanquam sui quadam excitatrice menti una præfentes rursus sistantur. Non autem hic ad sentire possum Philosophis iis, qui reproductionem idealium olim habituarum soli adscribunt idæ materiali, seu simili in cerebro, qualis olim fuit, motioni, sicut cum illis fentit *Wenceslaus Meisler in Logica in compendium redacta 1781. Viennæ edita.* Rationes in contrarium mihi prævalere



lere videntur, quæ vide apud Joann. Clericum Pneumat. S. I. c. 4. §§. 13. &c. & apud Stattlerum l. c.

§. 19. *Nota* (ein Merkmal) rei est id, unde res aliqua cognosci potest. *Adcentio* est intuitus mentis nostræ in ipsas rei notas. Intuitus iste vel in omnes rei notas simul considerandas, vel in eas singillatim perlustrandas dirigitur: in primo casu adattentionis nomen retinet: in altero *reflexio* vocatur: brevissime igitur definiri potest, quod sit *adcentio* ab *una rei nota* ad *alias translata*. (a) Si notas rei tot cognoverimus, quot sufficiunt, ad eam agnoscendam & ab aliis discernendam, *claram* illius *ideam* (eine klare Vorstellung) habere dicimus: in casu opposito *obscuram* (eine dunkle Vorstellung) in clara ejusmodi idea vel intuemur notas istas cumulatim, & *confusa* (eine undeutliche) vel singillatim eas intuemur, & *distincta idea* (eine deutliche Vorstellung) a nobis habetur. Si in idea omnes præcise notas, quæ ad illam omni tempore agnoscendam, & ab aliis discernendam sufficiunt, singillatim intuemur; ejusmodi idea est *complete distincta* (eine vollständig deutliche) si pauciores; *incomplete distincta* (unvollständig deutliche) si plures; *abundans* (eine mehr, als vollständig deutliche) si quis notas objecti singillatim cognitas resolvere in simplicissimas intuerique valeat; illius idea *adæquata* (eine entschöpfende) secus; *inadæquata*

quata (eine nicht entzöpfende Vorstellung) passim a Philosophis appellatur.


Coroll. Omnes has idearum species sola adtentione & reflexione acquiri posse, ex ipsis definitionibus patet. Num vero anxia hæc idearum divisio multum utilitatis adferat tyronibus, forte non immerito dubitatur.

a) Cupidus aurum ab aurichalco dignoscere, primo auri colorem intuetur, tandem gravitatem probat, & deinde ejus flexibilitatem ac ductilitatem examinat; & ista omnia peragendo reflectit.

§. 20. Notæ rei aliae sunt *constantes*, aliae *variables* (beständige, wechselnde Merkmale) notæ constantes vel sunt tales, ut primæ in re occurant, & ceteræ ex illis cognoscantur; & *essentiales* (wesentliche) vel tales, quæ immediate ex primis profluant; & *atributa* (Eigenschaften) nominantur. Notæ variables vel *internæ* sunt ipsi rei, cui tamen etiam non inesse possunt, & *modi* (zufällige Beschaffenheiten) *relationes* (Verhältnisse) dicuntur notæ variables rei *externæ*.

Scholion. Illud ex quo res quæpiam cognosci potest, etiam ratio alicujus rei vel entis (der Grund eines Dinges) dicitur. Quum ergo notæ entis *essentiales* ratio sint omnium aliarum notarum in illo, istis cognitis omnes alia cognosci possunt. Idea igitur distincta omnes præcise notas *essentiales* exhibens singillatim, *complete distincta*; ultra *essentiales* vero & alias repræsentans, abundans erit.

§. 21. Determinatio (Bestimmung) est plurium notarum adjectio; hæc evadit omnimoda; si tot notæ




rei adjiciantur, quot requiruntur, ut res sit hæc, & non alia. Res igitur omnimode determinata, est res omnibus suis notis, quibus constituitur talis, prædita. Determinationis exempla pulcherrima præbent operaciones chemicæ & pharmaceuticæ: Si chemicis massa quædam composita conficienda sit, tum materies simpliciores tamdiu miscent, & adgerunt; donec massam petitam obtineant: sunt vero materiæ simpliciores relate ad massam magis compositam instar notarum; igitur massam petitam obtinere quaerunt plurium notarum adjectione, seu determinatione: ipsa vero massa inventa omnimode determinatum audit. Res omnibus suis notis determinata, etiam *individuum* (ein einzelnes Ding) numerupatur.

Scholion. Idea individui etiam *singularis* vocatur. **Omnis** vero idea rerum existentium sunt ideae rerum omnibus suis notis determinatarum; quia ex §. sup. per eas consti-tuuntur: **Omnis** ideae rerum omnibus suis notis determinatarum sunt ideae individuorum seu singulares: sequitur ex his, omnes ideas sensuales esse ideas singulares.

§. 22. Extensio (Ausdehnung) ideae est numerus totus objectorum, quibus ea convenit. Si idea pro tota sua extensione accipiatur, universaliter sumi dicitur: est igitur universalitas ideae (die Allgemeinheit) illius pro tota sua extensione acceptio. Hæc universalitas est vel vera seu *formalis* vel *æquivalens*. Universalitas formalis (die wahre

wahre Allgemeinheit) est acceptio ideæ pro tota exten-
fione sua, quam actu habet in pluribus objectis: ideæ
individuorum, quia pro omni eo, pro quo possunt,
sumuntur, æquivalent universalibus. Ego porro, ubi
de universalibus loquor, semper, nisi specialiter indica-
vero, formaliter universalia intelligo.

§. 23. Absentia & præsentia alicujus notæ in re ea-
dem simultanea foret *contradiccio* (ein Widerspruch) res
quæ sibi in nulla nota contradicunt, sunt *eædem*; *distingue*
quæ sibi in aliqua nota contradicunt. *Similia* (ähn-
liche Dinge) vocantur omnia distingta, quæ in una, aut
pluribus notis convenient; & quidem juxta has ipsas
notas, queis sibi non contradicunt, sunt similia. Simi-
litudo ista vel potest intercedere quoad notas accidenta-
les, vel quoad essentiales: ultimas hic specialius attendi-
mus. Deprehendimus scilicet individua individuis quoad
notas essentiales similia, & inde conceptus *speciei* (eine
Art) in nobis exsurgit. Species subinde plures inter se
comparatae in notis pariter essentialibus aliquibus sunt,
inter se similes, & ista specierum in notis essentialibus
similitudo, *genus* (eine Gattung) est: species plures sub co-
dem genere comprehensa sunt distinctæ, adeoque sibi
debent in aliqua nota contradicere, seu inter se differ-
re: eadem de individuis dicenda sunt, & ipsis generi-
bus, quæ respectu alicujus generis superioris rursus



species esse possunt. (a) Nota illa, per quam individuum ab individuo ejusdem speciei differt vocatur *differentia numerica* vel *individualis* (der Zahlen Unterschied) nota illa, per quam species a specie ejusdem generis differt *differentia specifica* (der Arten Unterschied). Et ea, per quam genus a genere differt *differentia generica* (der Gattungsunterschied) audit. (b)

a) Plura a Philosophis genera admittuntur, quod latissime patet, seu nullum aliud supra se genus habet, *genus supremum*: quod sub alia ratione genus sub alia species est; *medium*: quod tantum species sub se habet *infimum* dixere. Hanc divisionem ut clariorem redderent veteres captui adolescentium, schemata varia excogitaverunt, celebres inter ea fuerant arbores sic dictæ *Porphyriana* & *Cartesiana*, vid. *Phil. rat. Hauseri T. I. ad finem*, ubi & alia phantasie & memoriae causa inventa repieres.

b) Ideæ genericæ, specificæ, differentiales genericæ & specificæ extenduntur ad plura objecta; sunt igitur ideæ universales. Quum vero notæ essentiales, ratio sufficiens sint adtributorum; patet, ubi est idem complexus notarum essentiarum, seu eadem essentia, ibi etiam esse eadem attributa; ergo etiam attributa ad plura objecta extenduntur; ac proinde illorum ideæ sunt universales. Et modi ac relationes pluribus objectis convenire possunt; adeoque & horum ideæ universales statui debent. Quinque igitur idearum universalium species sunt scilicet: 1. *Generum* 2. *specierum* 3. *differentiarum* *specificarum* & *genericarum* 4. *attributorum* & 5. *modorum*.

* Ideam particularem (eine besondere Vorstellung) voco, cuius extensio de se universalis ad unum, alterumve individualium, in se quidem, sed non quoad nos determinatum significandum restricta est E. g. aliquis homo.

Scho-

Scholion. A critere olim in scholis, præsertim in hac Heidelbergensi disputatum fuit, num universalia tantum in mente ea cogitantis, num vero extra illam quoque existant. Quanta inter *Nominalistas* & *realistas* ab anno 1444. usque ad annum 1545. lis fuerit, videre est in *programmate de memorabilibus nonnullis ordinis Philosophici Heidelbergensis*. Quum vero ea, quæ existant omnibus suis notis determinata esse debeant, & omnibus suis notis determinata tantum sint singulaaria; patet universalia extra mentem non existere, adeoque realistas litem inique nominalistis movisse.

§. 24. Quum adtentionem nostram ab una aut aliquibus rei notis avertimus, ut eo adcuratius eam in reliquis figere possimus; *abstrahere* dicimur, & *idea abstracta* (eine abgesonderte Vorstellung) proinde est, qua una aut altera rei nota a reliquis separatim exhibetur; *abstractione* igitur quædam adtentionis species est. *Idea abstracta* etiam opponitur *concretae*. Quando mihi notas rei sine re ipsa repræsento; habeo hoc sensu ideam abstractam; & *concretam* (eine unabgesonderte Vorstellung) obtineo, quando mihi notas rei ipfi conjunctas repræsento. Compositio idem ac determinatio est §. 21. definita. Quemadmodum autem adjectione notarum res semper magis & magis determinatur, & tandem individuatur; sic rejectione notarum seu abstractione res semper pluribus & pluribus communis fit; Consequitur propter hoc, ideas universales ope abstractionis adquiri §. sup. De insigni abstractorum in scien-



tiis ac artibus utilitate cons. Anhang zum 2. Theile der Grundsäze der Kritik §. 37. und folgende. Georg Friedrich Meiers Vernunftlehre I. H. 8. A. §§. 292. 293. &c.

Scholion. Facultas componendi in anima nostra se non tantum extendit ad notas idearum; sed etiam ipsas ideas, ut ut disparatas, dummodo non contradictorias in unam componere potest: facultas hæc etiam *singendi*, aut *combinatoria* dicitur. Idea, in qua contradictoria continentur, deceptrix, putatitia, nulla est (ein Schem einer Vorstellung) An idea composita vere tales, vel deceptrices duntaxat sint, aut per *experientiam*, aut per evolutionem istarum idearum potissimum invenies. Vide Lamberts neues Organon I. §. von den Begriffen und Erklärungen §§. 64. &c.

Corollarium. Ex ipsa definitione patet, ideas universales adquiri ope abstractionis: & quidem, quo magis abstracta idea nostra evadit; eo pauciores notas simul complectitur: quo pauciores notas complectitur; eo pluribus rebus convenit; quo pluribus rebus convenit; eo fit universalior, ergo quo magis abstracta evadit idea nostra, eo fit universalior. Quum res individuas sensibus perceptas inter se comparamus, similitudinem quandam, hoc est notas quasdam similes deprehendimus, quas, quum omisis reliquis; solas consideramus adeoque a rebus mente & cogitatione abstrahimus ideam *speciei* adquirimus: notas istas specierum considerantes adtentius, quasdam iterum similes alii individuorum classi reperimus, hæque rursus a rebus semotæ ideam sicutunt *generis*: notarum generis aliquæ denuo cum alia specierum classe comparata, similitudinem quandam habebunt; inde generis superioris, & tandem supremi notio menti ingeritur. Ideas igitur abstractas a singularibus rebus; harum vero idea, quum ex dictis a sensibus proveniant, sensuum pariter beneficio mediate saltem adqui-

adquiri, in aperto est. Licet ergo legitime concludere a) rerum singularium ideas immediate per sensus obtainemus, b) rerum universalium notiones ope abstractionis efficiuntur a mente ipsa, adeoque mediate sicut a sensibus dependent: ideae igitur innatae non dantur.

Coroll. 2. Ex hisce etiam primum fit variae animae nostrae facultates definire: *Intellectus* est facultas ideas distinctas universales formandi: Quum vero ideae istae universales adtentione & abstractione efficiantur; patet intellectum etiam bene definire, qui eum dicunt, *attendendi abstractiique potentiam vid. Meisleri log. §. 137.* Quia ideae distinctae obtainentur; si notas rei singillatim pervidemus (§. 19.) intellectus etiam dici potest: *facultas verum notus singillatim pervidendi*: si autem notas rei singillatim pervideamus, & felici imaginatione & memoria praediti sumus; tum nobis continuo occurret, eas notas a nobis alio in objecto fuisse cognitas; id est objectorum similitudo a nobis cognoscetur: similitudo itaque rerum, intellectu, imaginatione ac memoria simul detegitur; facultas, similitudines rerum pervividendi, *ingenium* dicitur. Ingenium proinde nihil aliud est, nisi intellectus imaginatione & memoria suffultus, & operationes ingenio adscribi solitus, sunt operationes intellectus imaginationibus & memoria permixtae. Quo igitur quis feliciore phantasia, ac tenaciore memoria fuerit praeditus, quo ad curatore utatur facultate attendendi & abstractiendi; eo meliori pollebit ingenio. Ad sensus mentis nostrae convenientiae aut disconvenientiae duarum idearum inter se mediante tertia cognitae praestitus *ratiocinum* vocatur. Ad hoc pariter ingenium & intellectum requiri, palam est, & animae facultas, qua nexum variarum idearum inter se, seu unius ex alia consequitionem perspicimus, uno vocabulo Philosophis *ratio* dicitur. Me proinde etiam non monente intelligitur, arctissimam esse omnium mentis facultatum ab intellectu dependentiam.



§. 25. Explicatis corollario præcedente diversis animæ nostræ facultatibus, facile est idearum innatarum Patronis planius ostendere, quomodo mens nostra obtinere possit ideas rerum etiam insensibilium. Nam

a) Specierum, generumque ideas ope adtentionis & abstractionis effici a mente nostra ex §. sup. certum est.

b) Ideas substantiarum seu subjectorum perdurablem & diversarum modificationum capacium adquirimus adtentione. Quando enim res omnes, quas existere concipimus, in genere consideramus, facile adparet, quod illud in primis inter easdem discrimen occurrat, quod aliae per se possint concipi, si vel maxime nihil simul concipiatur, cui inhærent: alia vero contra concipi nequeant; nisi simul quid concipiatur, cui inhærent. En igitur originem idearum substantiarum, modique. *Lockius L. 2. C. 12. & 23.*


c) Spirituum idea in nobis exoritur, quum animæ nostræ actiones, e. g. judicia & ratiocinia examinantes, observamus, eas neque per se subsistere, neque consistere posse cum proprietatibus materiae cognitis, ratione ipsa detegimus; concludimus igitur, a principio alio, quod non sit materia, illas provenire debere, illudque vocamus *Spiritum*. *Lockius l. c. §. 15.* *Zallinger log. gen. c. 9.*

d) *Dei*

d) *Dei* ideam comparamus, nobis ex notionibus entium contingentium, quorum existentiam sensibus percipimus, & entis necessarii ratiocinando inferimus. Deinde quum alio ratiocinio omnes perfectionis possibilis enti necessario inesse debere concludimus, perfectiones entium creatorum abstractas, & nostro cogitandi modo ultra omnes limites amplias in unum colligimus, easque ita copulatas eidem enti necessario tribuimus: sicque ideam entis perfectissimi animo informamus. Ex hoc ideam *Dei* efformandi modo etiam palam fit, ideam *Dei* ratione objecti sui perfectiorem quidem esse omnibus aliis, ratione subjecti vero seu hominis, cui inest, eadem sicut ceteras ideas nobilitate gaudere: ferme sicut ignobilis pictor rem optimam delineare quidem, sed modo non optimo potest; ita & nos circa *Dei* ipsius ideam versamur.

e) Ideæ virtutum & vitiorum ex generalibus juris naturæ principiis, quæ facile cognosci possunt, deducuntur. Conducunt etiam ad illas inquireendas non pa- rum conversatio & educatio.

f) Ideæ axiomatum fiunt attentione & observatio- ne ad propositiones singulares; quum, quid ex eis com- mune sit, excerptimus, & inde propositionem univer- salem conficimus.



* Sufficientant hæc tyroni ad ipsum Philosophiaæ limitem; explicatis enim notionibus Ontologicis patebit luculentius, omnes nostras ideas esse vel adventitias vel factitias: quum eas mens nostra aut immediato sensuum usu, aut reflexione, abstractione, compositione consequatur. Sane, si quis ob eam causam, quia celeriter reperire non posset, quomodo idea aliqua, aut immediate per sensus, aut per reflexionem, aut abstractionem habeatur, concludere vellet, ideam hujusmodi esse innatam, prudentius non ageret, ac si hominem cuius parentes & avos ignoraret, non ab Adamo descendere, sed seorsim a Deo creatum putaret. *Videatur Zallinger l. c. Et potissimum Lockius l. c.*

Scholion. Nec evincunt quidpiam objectiones, queis adversarii fententiam impugnare nostram solent. Nam

1) quamvis ideæ nullæ innatae dentur, tamen discrimen intercedit inter animas in utero materno delitescentes humanas, & inter animas belluinas: discrimen videlicet sufficiens est, quod ipsæ gaudent facultate, remoto impedimento, & oblata occasione adquirendi ideas rerum insensibilium; qua hæc sunt destituta

2) Argumentum, quod cum Winklero, ex adeptibus innatis desumunt, falso laborat supposito; non enim ipsi adeptitus actuales, sed facultas & inclinatio adeptendi quodvis bonum cognitionum innata nobis est. Quodsi jam paritatem formare velint, inferendo innatam igitur pariter esse facultatem cogitandi; ultiro adsentimur: facultas enim ista nil differt a facultate cogitandi, quam cuilibet, non vero ipsas actuales cogitationes ab ortu congenitas esse, extra controversiam est.

3) Neque ipsa copia idearum cognitionumque in humana mente aliquid pro ideis innatis evincit. Tanta enim idearum humanarum copia non videtur aedesse, diligenter eas examinantibus. Ceterum eam, quæ in rudioribus est,

pro-

provenire a) ab impressionibus rerum, quæ eos circumstant,
b) ab usu vocum, c) a variis adpetitionibus actionibus
que, d) interdum etiam sicut in doctioribus ab adtentio-
ne, reflexione, abstractione, judiciis, ratiociniis, serio
consideranti palam fiet.

C A P U T III.

De veritate idearum.

§. 26.

Expensis idearum ortu & diversitate de earum veritate agendum est. *Veritas* autem generalissime sumpta est notio relativa, vi cuius id, quod verum, aut falsum dicitur, censetur conforme aut difforme ei, ad quod refertur. Sic si imago homini, ad quem refertur, conformis est, censetur vera. Breviter ergo veritas definiri potest: Convenientia aliquius cum aliquo. *Metaphysica* (die innere Wahrheit) est convenientia notarum entis, seu ipsa ejus conceptibilitas: *Logica* est convenientia cogitationum nostrorum cum earundem objectis: *Physica*, convenientia rei cum legibus naturæ; *Moralis* convenientia sermonis cum intentione loquentis. Nos in hac materia præcipue logicam attendimus.

Scholion. I. Differunt hæc inter se verum metaphysicum, & verum metaphysice: verum Physicum, & verum physice. Verum scilicet *metaphysicum* est omne conceptibile: *verum contra metaphysice* (durchaus untrüglich wahr) est,



est, quod ita verum est ut absolute, etiam per ipsam Dei omnipotentiam non possit esse falsum, verum physicum est omne legibus naturae conveniens: verum autem physice (nach den Gesetzen der Natur wahr) quod non nisi mutatis naturae legibus, falsum esse potest. Moraliter verum (sittlich wahr) dicitur, quod aliter esse non potest, nisi mutatis notabiliter hominum moribus.

Scholion 2. Distinguunt alii veritatem in *Idealem*, quam dicunt convenientiam rei existimatam. & *realem*, quæ actu datur. Sed hanc distinctionem nullius esse frugi, inde convinco, quod nihil possit dividi in illud, quod non est pars ipsius. Et ipsa definitio veritatis idealis, ac expessiones linguae Germanicae propriæ, quæ sunt *Schein-Blendwerke*, *Nachäffung der Wahrheit*, satis contra hanc distinctionem loquuntur.

Coroll. Ex ipsa definitione veritatis logicæ fluit, ideam omnem veram esse logice; si omnes notæ, quas in objecto exhibet, eidem & re ipsa. & eo modo convenient, quomodo per ideam in objecto repræsentantur. Si vero vel una notarum illarum objecto non convenient, aut non eo saltim modo convenient, quam & quomodo illam idea in objecto repræsentat idea falsa est.

§. 27. Ad speciales pro variis ideis regulas pauca sunt prænotanda: Omne illud *possibile* dicimus, quod contradictionem non involvit: contra *impossibile* est, quod continet in se contradictionem. Quum autem omnis contradic̄tio (ex §. 23.) sit præsentia & absentia ejusdem notæ in re eadem simultanea; palam est, omnem contradictionem, quum tollat id ipsum, quod ponit in ente, esse nihil; adeoque etiam omne

impos-

impossibile, quia contradictorium est, conficitur esse nihil. *Nihil* non habet notas (alias enim foret aliquid) res quilibet cognoscitur per suas notas §. 19. nihil ergo cognosci non potest: non igitur datur idea nihili, non rei impossibilis, quæ merum, putum *nihil* est. Sensibilis fit hæc demonstratio in crumena nummis iis. deinde, quibus replebatur, evacuata.

Scholion. Quando putamus nos habere ideam rei impossibilis, reflectendo ad nostras ideas adverteremus, non unam, sed duas ideas animo nostro obversari, easque nos irrito quadam conatu ex insufficientia attentionis in unam conflare. Id ipsum declaramus, quando varias de impossibilibus propositiones proferimus.

§. 28. Ideæ rerum possibilium vel repræsentant res mere possibles, vel etiam re ipsa existentes. Ideæ igitur rerum existentium vi canonis supra dati veræ erunt, si objectum fuerit possibile, si existat, & iis prædictum qualitatibus existat, quæ in idea exhibentur. Idea vero rerum possibilium jam veræ erunt, si res mente concepta contradictorias notas non involvat. Idea igitur possibilium distincta, quum notas singillatim exhibeat, vera semper, confusa vero & obscura falsa subinde esse poterit ex ratione contraria. *Vid.* Burckhauseri logic. P. 1. S. 1. C. 3. de idearum veritate, vel si iste ad manum non fuerit. *Cl. Kleberi Dissert.* de notione & certitudine.



§. 29. Unum adhuc idearum discrimen explicandum restat. *Simplices* aliæ, aliæ *compositæ* dicuntur, eæque sensu vario. *Metaphysice simplices* sunt, quæ non nisi unicam cognoscibilitatis notam habent, tales forent: ideæ entis in genere, possibilis, metaphysice veri, boni &c. *Compositæ* hoc sensu forent, sed tantum nostro concipiendi modo, omnes ideæ pluribus notis constantes. *Physice simplices* ideæ sunt, quæ rem naturaliter unam repræsentant, tales sunt ideæ hominis, bruti &c. quæ res naturaliter distinctas tanquam unam exhibent *physicæ composite* sunt e. g. idea *montis aurei*.

C A P U T IV.

De modo adquirendi & manifestandi ideas ope signorum.

§. 30.

Signum in genere dicitur omne id, quod præter sui cognitionem alterius etiam rei cognitionem menti ingerit. Si ex ipsa naturæ constitutione hoc efficiat; *naturale*: Si vero ex institutione hominum id præstet; *arbitrarium* (ein willküriges Zeichen) dicitur. Fumus ignem, aurora solem orientem naturaliter: indices viam, scuta gentilitia familias, earumque jura; insignia dignitates ex hominum instituto significant.

§. 31.

§. 31. Etiam linguae signa sunt cogitationum nostrarum, & uti ab inventoribus suis institutae, ad arbitraria pertinent. Plurimas ideas nos signis istis adquirere, & illorum pariter ope cogitata nostra aliis manifestare, res est quotidiana experientia firmata.

Scholion. Qui de varietate, utilitate, necessitate, & origine linguarum plura maluerit, aeadat *Lamberti neues Organon* 2. B. *Seu Semioticam per totum. Herderi Abhandlung über den Ursprung der Sprachen. Berlin 1772.* *Artem cogit. P. 2. C. 1. Columban. Ræser Instit. log. C. 3. Meisler L. c. c. 5. Dalbam de linguar. orig. & varietate L. 2. P. 1. c. 1. de rat. cog. & alios a Cl. Federo in Log. germ. de anno 1778.* §. 3. *allegatos.* Ex iis adparet etiam, quanto-pere curandum sit, ne libri adolescentibus linguarum discendarum tyronibus in manus dentar, qui vocabulorum *Nominum Pronominum &c.* adcuratas definitiones non habent.

§. 32. Vocabula ideas exprimentia termini vocantur; quotuplices igitur ideæ dantur ratione suorum objectorum, totuplices pariter termini dantur. Sic alius est singularis, particularis, universalis &c.

§. 33. Circa usum terminorum istorum cendum est Philosopho quam maxime, ut terminis utatur claris, fixæ significationis, propriis, non temere novatis; alias enim finem suum nunquam tuto satis adsequeretur. Quis enim intelliget semper obscure, im-

pro-



proprie &c. loquentem? Quodsi igitur terminis subinde utendum est, qui ambiguum forte sensum habere possent, figendi prius sunt adcurata definitione.

C A P U T V.

De Definitione.

§. 34.

Definitio (Erklärung) est oratio exprimens notas sufficientes, ad rem aliquam pro omni statu ac tempore agnoscendam, & ab aliis discernendam; Res ipsa, quæ explicatur definitum appellatur. Alia definitio nominalis (eine Namenerklärung) dicitur; & est distincta explicatio, quid sub termino quodam intelligamus: alia realis (eine Sachenerklärung) quæ rei ipsius naturam explicat. Hæc ultima, quandoque genetica (eine Entstehungserklärung) est, quando scilicet, quomodo res quæpiam oriatur, ostendit. Sic ipsa definitio nominis definitio nominalis hæc hominis, quod sit animal rationale, realis: hæc vero circulus est figura motu linea rectæ circa punctum fixum in plano descripta, genetica est.


§. 35. Utraque tam realis quam nominalis definitio vel sit per notas rei essentiales, vel per adtributa, aut accidentia; & secundum triplicem hunc modum etiam varie appellari potest.

Scholion.

Scholion. Optandum foret, intellectum nostrum adeo esse perspicacem, ut de rebus omnibus definitiones per essentias adcuratas dare possimus: ast quum rerum singulatum essentias perydere non possumus; harum nunquam, sed generum duntaxat (si illa, quæ suprema dicunt, excipias) & specierum definitiones per essentias confici a nobis possunt. Hinc ut bene observat Dalbam. L. 1. P. 2. c. 7. l. c., plerunque accidentium adparatu contenti, intime naturæ cognitionem soli Deo deferimus. Inde etiam plerunque descriptions duntaxat sunt, quibus ad rerum cognitiones erudimur. *Physici præsertim has definitiones sibi solennes habent.*

§. 36. Regulæ generaliores definitionis sunt. 1)

Definitio debet esse clarior definito; alias non esset explicatio illius. Hinc etiam patet, in omnibus præsertim definitionibus esse utendum terminis fixis claris ac propriis, & *Circulum in definiendo* (Rückgang im Erklären) quando scilicet definitionem prioris definiti ingreditur definitum posterioris, & rursus definitionem posterioris definiti ingreditur definitum prius, sedulo esse devitandum. Hunc circulum committeret, qui diem per tempus viginti quatuor horis constans, & horam per vigesimam quartam diei partem definiret. Contra eundem canonem etiam offendunt definitiones putatitiae, in quibus explicatur idem per idem, aut definitionem ipsum definitum ingreditur. (a) 2.) *Definitio rei non debet esse negativa.* Negativa enim definitio tantum declarat, quid res non sit; adeoque per illam res ipsa non intelligitur, qui tamen finis est omnis definitionis. In



sequentibus autem casibus adhibere definitionem negati-
vam licet: *a)* si de opposito data fuerit definitio positiva.
(β) Si cui inhæreat idea deceptrix rei, de qua agitur; ut
si velis de animi demissione loqui, necesse est, spurias
eiusdem virtutis ideas ex plurimorum antea mente tol-
las per definitiones negativas. *γ)* Ut ex opposito magis
clarescat definitio positiva. *δ)* Si definitio positiva ha-
beri non possit. Melius est enim, rem quovis modo,
quam plane non explicari. Sic definimus, simplex esse
illud, quod caret partibus. *3)* Definitio & definitum
debent esse reciproca: nam quæ sunt eadem, sibi mu-
tuo substitui possunt. *4)* Definitio debet omnibus de-
finiti ejusdem generis, aut speciei individuis & solis
istis convenire; alias enim nec serviret, ad rem omni-
statu ac tempore agnoscendam, nec ad eam ab omni-
bus aliis discernendam.

a) Contra definitionis claritatem facillime peccant ii,
qui synonymorum (ut vocant) vocabulorum amatores sunt
plus nimio studiosi; quod enim vel tenuem cum re propo-
sta similitudinem habere videtur, illius significationem pri-
ori substitui posse credunt, & non raro substituunt.

§. 37. Si definitio sit de rigore logico essentialis, per
genus infimum & differentiam ultimam fieri debet. Ejus-
modi enim definitio debet exprimere omnes notas, quas
definitum cum aliis rebus communes habet, & notam
etiam illam, per quam ab omnibus aliis ejusdem gene-
ris

ris differt: Notas vero, quas definitum cum aliis rebus communes habet, genus infimum; & eam, per quam ab omnibus aliis ejusdem generis rebus differt, differentia ultima exprimit: salva est igitur regula.

§. 38. Definitiones nominales serviant ad inutiles logomachias præscindendas; ubi igitur hæ timendæ forent, bene præmittuntur illæ: non tamen laudandum putem morem illorum, qui res subinde cuvis obvias, nullique subjectas dubio, anxiis definitionibus obscurant potius, ac illustrant: Interim quando adhibenda est definitio ejusmodi nominalis; a) communis in eadem lingua doctorum loquendi usus non negligatur. Linguæ jam ad leges suas restrictæ injuriam mihi facere videntur, qui definitiones nominales illimitate arbitrarias esse, clamitant. b) Siqua forte nominis insolentioris explicatio facienda sit; illius ante omnia rei huic significationi subjectæ possibilitas erit ostendenda.

§. 39. Usus definitionum potissimum est triplex.

1. Earum ope res obviæ reducuntur ad sua genera, speciesque: 2. Definitiones sequentes, & adserta sequentia per eas intelliguntur: 3. Quænam rebus convenient, ex definitionibus deducitur. Definitio, quæ nulli horum finium servit, exulare debet e libris, tyronum maxime gratia conscriptis.



C A P U T VI.

De Divisione.

§. 40.

Quam definitiones sint ad hoc, ut, quid res sit, innotescat, destinatae; resque semper eo clarius adpareat, quo distinctius singulæ illius partes fuerint cognitæ, certum est, ipsam definitionem facilitatis plurimum ex divisione (Eintheilung) consequi. Est autem hæc totius in suas partes resolutio. Partes dicuntur plura, quæ simul sumpta & connexa unum efficiunt: & illud unum, quod ex hisce partibus simul sumptis & connectis efficitur, totum appellatur. Illud, quod dividitur, divisum, & partes ipsæ, in quas dividitur totum, membra dividentia (Eintheilungsglieder) audiunt.

Corollarium. Philosophi totum triplex norunt, *Metaphysicum* vocant, cui partes non revera insunt; sed tantum inesse intellectu nostro concipiuntur: *Physicum*, quod ex partibus realibus, & in sensu agere valentibus constat: & *logicum* denique, quod est notio universalis, quæ plures notiones minus universales sibi subordinatas sub se compleatitur, Corpus humanum, prout capite, membris ac trunco constat, totum *Physicum*: Mens humana in se simplex, sed diversarum facultatum in ea conceptibilium capax, totum *metaphysicum*: quodlibet genus, vel species totum est *logicum*. Quotuplex vero totum est, totuplex etiam datur divisionis denominatio.

§. 41. *Divisio completa* (eine vollständige Eintheilung) ea est, in qua omnia membra dividentia enumerauntur:

rantur: in sensu contrario, *incompleta* (eine unvollständige) adpellatur. Quando membra dividentia vel realiter, vel nostro concipiendi modo composita, rursus in partes suas resolvuntur, adest subdivisio (eine Untereintheilung). Et quando rem eandem ex variis fundamenis (Eintheilungsgrund) varie dividimus, *condivisionem* (eine Nebeneintheilung) obtinemus.

§. 42. Quum partes simul sumptæ & totum sint idem, divisio completa, & divisum debent esse conceptus reciproci: Sic vitiosa foret hæc divisio: *omnis homo est vel Iudeus, vel Christianus.* Et quum fundamentum divisionis in partium vel reali vel formali distinctione situm sit; supervacanea est, ubi eadem partes, jam sub aliis contentæ, repetuntur; sic otiosa foret hæc divisio: *Partes mundi sunt Asia, Africa, America, Europa, Germania:* & demum diversæ condivisionis partes non esse permiscendas, abunde patet. His punctis observatis regularis semper divisio est.

Scholion. De Tabulis Mnemonicis (Gedächtnisstafeln) etiam pauca dicere, ordo jubet. Sunt vero ex, in quibus memoriae mandanda eo ordine disponuntur, quo eadem facilius mandantur, & semel mandata retinentur. *Generalis* (eine Allgemeine) ea vocatur, quæ totius cujusdam disciplinæ conspectum exhibet. *Elegantissimum exemplar* & simul exactissimum habes in systemate Jurisprudentiæ universæ Cl. Daniel. Nettelbladt: *specialem* (eine besondere) dicimus, quæ cujusdam disciplinæ partis conspectum exhibet,



ber, ut tabulae, quæ passim circumferuntur de definitionibus, divisionibus &c. Finis harum tabularum jam ex ipse definitione patescit: & modus conficiendarum regulis sequentibus absolvitur: a) in tabulis ejusmodi non ponantur, nisi Definitiones, divisiones, & propositiones nudæ sine demonstrationibus. b) Classes quædam constituendæ sunt generaliores, si fieri possit, & ad quamlibet classem referenda sunt, quæ sub ea continentur, aut ad finitatem quædam habent, c) studendum quam maxime est, ut semper ea priori ponantur loco, ex quibus, tanquam fundamentis suis, aut rationibus posteriora consequuntur. Celebre haec tenus exemplum præbueret Bruchsalientes in thesibus suis cum publico communitatis. Num vero tabulas ejusmodi etiam in ipso doctionis, aut scriptio[n]is decursu nimis anxie corras, aut observatas ad minutiora usque, æqui bonique consulam; alia forsan occasione dicendi locus erit.

C A P U T VII.

De Judiciis ac Propositionibus.

§. 43.

Mens nostra quandoque duas ideas habet, vel ultra in organa nostra sensoria, actione quadam objectorum externorum incidentes, aut ope phantasie recurrentes, aut ex sensibilibus rebus per abstractionem aut compositionem efformatas. 2. Istas ideas earum examinando notas, contemplatur, numque vel dis vel convenient, inter se comparat. 3. Facta hac comparatione, earum vel identitatem, vel distinctionem intuetur. 4. Observatae huic identitati aut distinctioni annuit, & tacite pronuntiat vel dari istam identitatem aut distinctionem.

etionem. De hisce ex sensu intimo certi reddimur.
 Actum hunc ultimum mentis simplicem annutus Philosophi judicium (ein Urtheil) vocant. Bene igitur (§. 8.) definitum fuit judicium esse: *annutum mentis nostræ convenientiæ aut diconvenientiæ duarum idearum inter se immediate cognitæ præstitum*: Aut si brevius malueris: est *Sententia mentis nostræ de habitudine duarum idearum inter se immediate cognita*. Si annutus iste convenientiæ duarum idearum fiat; *Judicium adfirmativum* (ein bejahendes Urtheil) si vero disconvenientiæ præstetur; *negativum* (ein verneinendes Urtheil) appellatur. Judicium ejusmodi verbis expressum, *propositionem* (ein Satz) vocant; quæ propterea in adfirmativam & negativam pariter dividenda est. Et hanc qualitatem propositionis cuiusvis primariam (die Haupteigenschaft) dicunt.

Corollarium. Ex hisce patet, ad omnem propositionem requiri duas ideas, unam quæ contineat alteram, seu de qua aliquid vel adfirmsetur, vel negetur, & hanc vocant *Subiectum* (Vorbeiriss) & alteram, quæ contineatur in priore, seu quæ dis- vel convenire subiecto dicitur, quam *Prædicatum* (Nachbeariss) appellant: ac denique aliquid, quod ipsam convenientiam vel disconvenientiam, seu nemum inter duas istas ideas ostendat, quæ copula (des Verbindungswoort) dicitur: & in hac forma totius propositionis consistit; quia per illam a qualibet alia mentis operatione judicium & propositio differt.

Scholion. 1. Qui judicium merum intuitum convenientiæ aut disconvenientiæ esse volunt, rem minus tangere



videntur; quia sic motivum judicij pro ipso judicio substituunt, ipse sensus intimus, & communis loquendi modus refragatur. *Vid. Anton Seguy Logic. edit. Paris. p. 51. Et seq.*

Scholion 2. Discrimen statui debet inter propositionem negativam & infinitantem (verstet der bejahenden Sätze) Prior ille dicitur, quando negatur nexus prædicatum inter & subjectum, e. g. Petrus non studet, Posterior vero, quando negatio ad ideam subjecti & prædicati integrum solum pertinet, e. g. Petrus est non lapis. Non deesse utilitatem huic divisioni ex sequenti & similibus syllogismis patet: *Omnis, qui non pie vivit, non meretur laudem, Petrus non pie vivit, non igitur laudem meretur;* ast operosi minutiarum dialecticarum captatores amplius subinde justis immorantur.


§. 44. Quantitas propositionum vel definita (bezeichnete) vel indefinita (unbezeichnete Weite) est. Definitem dicunt, cuius subjecto communi præfixum est signum aliquod universale, aut particulare; indefinitam, cuius subjecto nullum præfixum est signum. Ast ex signis ejusmodi quantitatem non esse metiendam, ostendunt propositiones sequentes: *omnis homo gaudet capacitate discendi artes liberales, omnis miles est exercitus, aliquis Philosophus est peritus musices, aliquis oculus est necessarius ad vindendum,* quarum ultima, licet signo particulari notata, tamen æquivalenter, sicut & secunda, quamvis signum universalitatis formalis præfixum sit, pariter tantum æquivalenter universalis est. Omni etiam argumento

for-

fortius evincunt veritatem hanc *suppositiones* veterum, ita dictæ, *distributivæ*, *collectivæ*, *disjunctivæ*, & *confusa*. Canones igitur adcuratiores & magis philosophici sup-peditandi sunt tyroibus, queis tuto de universalitate aut particularitate propositionis cuiusdam dijudicare valent, idque sequentibus præstetur.

§. 45. Quum nihil sit sine ratione sufficente; etiam ratio esse debet, cur prædicatum subjecto cuidam conveniat. Si ratio ita convenientiæ contineatur in ipso subjecto, *propositio determinata* (ein bestimmter Satz) *indeterminata* vero (ein unbestimmter Satz) dicitur; si ratio ista non in ipso subjecto, sed in conditione aliqua subjecto extrinseca fuerit. Res quælibet continet in se rationem nostrum suarum essentialium & attributorum; quando ergo prædicatum fuerit nota essentialis aut attributum subjecti; propositio semper determinata erit. Mdi omnes & relationes rationem suæ existentiæ semper habent in aliqua conditione ipsi existentiæ rei extrinsecæ; igitur & omnis propositio erit indeterminata, ujus prædicatum modus, aut relatio fuerit.

Coroll. Hie præsuppositis ex ipso harum propositionum conceptu acile consequitur I. omnem propositionem determinatam e subjecto communi esse universalem universalitate forma. II. Omnem propositionem determinatam de subjecto singulari esse universalem universalitate æqui-



valente. **IM.** Omnem propositionem indeterminatam esse particularēm: atque hi canones sunt ad dignoscendam propositionum tum definitarum tum indefinitarum quantitatem adcommodatores signis istis universalibas & particularibus. Rationes pro hisce Canonibus aperta militant: essentialia enim & attributa omnibus sub genere aut specie contentis inferioribus communia; modi vera & relationes tantum uni vel alteri illi, cui in - vel adeo illa conditio, convenient. Si insuper ex auctoritatibus pugnandum foret, series longissima paginam utramque, implere posset ex V. V. & R. R. Logices compendiis & operibus amplioribus. Mirum igitur, quod hæc sententia quibusdam adeo nova, aut forte ex eo tantum capite odiosa videatur, quod a Celleberrimo Stattlero proferatur. Ac mitigandum horum fatim animum sufficerent Cl. Cl. Steinmeieri *Log.* anno 1779. *Friburgi Brisgojæ* §. 68. & Meisleri *Log. summa autoritate* 1781. *Viennæ edita* §. 236. & sequentibus, in quibus sententias prorsus easdem reperient.

Scholion. 1. Quando prædicatum tale est, ut non, nisi de tota collectione inferiorum subject adfirmari possit, ea que collectio fuerit determinata; propositio est singularis. Sic hæc propositio: *omnia elementa sunt quatuor prorsus singularis est;* quia habet hunc sensum: *Collectio, in elementis determinata, est quaternaria.* Adparticulares autem refertur, si collectio ista determinata non fuerit, e. g. hæc propositio: *aliqui homines sunt flagitosi,* particularibus ad- censenda est, quia sic intelligenda est: *liqua collectio omnium* (scilicet indeterminata) *est collecti quædam flagitosorum.*

Scholion. 2 Ad classem propositionum singularium etiam pertinent propositiones illæ, in quibus terminus communis speciem, vel genus significans pro nullo individuo determinato sumitur, uti fit, quando de ejusmodi termino communi prædicatur necessitas, debitum, aut possessum, velut in sequentibus propositionibus: *aliquis floruit debetur Tito,*

¶o, aliquis aureus promissus est Cajo, aliquis calamus est necessarius ad scribendum sensus enim harum est: hæc species entium, quæ calami nomine venit, sive species in calamo determinata, sive calamus secundum speciem suam singularem sumptus, est quid necessarium ad scribendum E&c. Veteres ejusmodi propositiones disjunctæ aut confusa suppositionis esse dicebant. Ex hisce etiam patet, propositiones, quas olim simpliciter supponere minus latine dixerant, & in quibus de idea quapiam subjecti determinata adfirmatur, aut negatur terminus aliquis artis; ut si aliquid de ipso subjecti vocabulo prædicatur, seu ut V. V. dicebant, si subjectum materialiter sumatur, patet, inquam, has propositiones omnes singularibus esse adnumerandas. Exempli loco sint sequentes propositiones: *homo est species, mus est monosyllabon.*

Scholion. 3. Difficultatem forte insuperabilem doctrinæ hactenus traditæ, putabit aliquis in propositionibus hisce & similibus: *Omnis homo est doctus, omnis Philosophus disputat.* Has enim propositiones ideo falsas esse constat; quia universaliter adseritur prædicatum de subjecto; & nihilominus propositiones ejusmodi determinatae non sunt: fallit ergo Canon tertius coroll. *sup.* adfirmans, omnem propositionem indeterminatam esse particularem. Verum &c. Propositionum omnium aut proferendarum, aut proletarum idea subjecti & prædicati signo omni nuda examinandæ in primis sunt, numque idea subjecti rationem prædicati in se contineat, nec ne, dispiciendum est. Si continet; tuto adponere signum universale possum: si non continet; proposicio illa cum veritate universalis esse nequit: Ideoque falsæ sunt propositiones supra datae, & similes; quia adparenter tantum, non re ipsa sunt universales.

Scholion. 4. Propositionis determinata extensio restringi potest signo quopiam particulari, aut singulari adposito: Sic hæc propositiones de se universales forent universalitate vera: *homo est vita, sensu & ratione prædictus, homo gaudet*
facul-



facultate modos adquirendi: ait si primæ adponis signum; aliquis, alteri signum: hic; utriusque universalitas restricta est.

Scholion. 5. Ex propositione indeterminata fieri semper determinata adeoque & universalis ex particulari potest; si idem subjecti ipsa illa conditio adponitur, sub qua illi prædicatum aut tribui, aut negari potest. Sit e. g. hæc propositione: *Corpus movetur: conditio, sub qua prædicatum hujus subiecto convenire potest, est, si ad motum determinatum fuerit corpus: adde hanc conditionem ipsi subiecto, & habes ex propositione indeterminata prius, hanc determinatam: corpus, ad motum determinatum, movetur.*

Scholion. 6. Tripliciter potissimum universalitatem formalem distingue. *Absolute, complete, perfecte, metaphysice universalis* est ea propositione, cuius prædicatum convenit singulis sub termino subiecti contentis inferioribus, nullo excepto. *Incomplete, imperfecte, adcommode universalis* ea dicitur, cuius prædicatum convenit singulis inferioribus subiecti, uno alterove excepto. *Moraliter universalem* vocant, quando prædicatum aliquod mores populi, civitatis &c. cuiusdam significans, potissimum illius parti tribui cum veritate potest.

Scholion. 7. Propositiones sequentes: *omnes arbores plantatae sunt in hoc horto: omnia animalia fuerunt in arca Noemi, & similes ad particulares omnino referendæ sunt, sensus enim earum est: ex omni specie arborum una vel altera in hoc horto plantata est &c.* Ceterum ejusmodi loquendi formulas non promiscue adhibendas esse, patet ex hac & similibus propositionibus: *Omnes Franciscani erant in capitulo: si, ut moris est, ex quolibet monasterio unus vel alter tantum interfuerit.*

§. 46. Regulæ §. præced. traditæ subiecti tantum quantitatæ dignoscendæ inserviunt: de quantitate prædicati,

dicati speciatim igitur hoc paragrapho agendum est. Canones huic fini obtinendo inserviunt sequentes. I. Prædicatum propositionis *adfirmativæ ordinatæ* (a) sumitur secundum totam suam comprehensionem, & tantum secundum partem extensionis, adeoque particulariter. (b) II. Prædicatum propositionis *negativæ* sumitur secundum totam suam extensionem & tantum secundum partem comprehensionis, adeoque universaliter. (c)

a) *Propositio ordinata* (ein ordentlich vorgetragener Satz) ea est, in qua idea latius patens est prædicatum; sic enim omnes notæ prædicati, utpote pauciores, certo in notis subjecti pluribus contineri possunt. Huc non referri propositiones identicas, uti & eas, quarum prædicatum est idea singularis, per se patet.

b) *Comprehensio* (der Umsfang) cuiusdam index, est numerus totus notarum, quibus constituitur. Secundum hanc comprehensionem adfirmari prædicatum de subjecto, inde constat; quia vi definitionis in judicio adfirmativo adfirmatur identitas prædicatum inter & subjectum, seu convenientia omnium notarum prædicati cum notis subjecti. Istud ipsum prædicatum non vero adfirmari secundum totam suam extensionem ideo liquet; quia tantum adfirmantur notæ prædicati communis, non vero individuorum omnium, quibus competit extensio prædicati; alias in hac propositione: *Petrus est animal de Petro adfirmaretur, quod sit omne animal rationale, & irrationale* (hæc est enim tota hujus prædicati extensio) quod tamen oppido falsum est.

c) Negativam propositionem negare prædicatum secundum totam suam extensionem, inde conficitur; quia negantur omnes notæ, quibus prædicatum a subjecto distinguatur: sed omnes istæ notæ etiam insunt omnibus individualibus, sub prædicato contentis, igitur & illæ, & conse-

quen-



quenter omnia individua, seu tota extensio negatur, Adde, si vel unicum individuum non negaretur, dari identitatem inter notas prædicati & subjecti, adeoque illud adfirmandum non negandum fore. Et quum prædicatum eatenus tantum negetur de subjecto, quatenus a subjecto distinguitur, & non distinguatur quoad omnes notas; patet, illud etiam non quoad omnes notas, seu quoad totam comprehensionem negari. Certe, si quoad omnes notas negatur, nulla propositio negativa vera foret. E. g. quum negas hominem esse bestiam; non negas illum habere vitam & sensum, quæ tamen nota etiam ad comprehensionem bestiaz pertinent.

§. 47. Alia divisione propositio in simplicem & compositam distinguitur. *Simplex* (ein einfacher Satz) est ea, quæ unico subjecto & prædicato constat: *Composita* (ein zusammengesetzter Satz) quæ vel pluribus subjectis, vel prædicatis, vel utroque constat. Propositionum compositarum aliæ sunt *adperte* (offenbar zusammengesetzte Sätze) quarum scilicet compositio manifesta est, e. g. *virtus & scientia sunt amabiles*: aliæ sunt *exponibiles* (zu entwikelnde Sätze) quarum compositio latet, seu occulta est: Propositionum adperte compositarum classes sunt sequentes.

a) *Copulativa* (ein Bindesatz) quæ vel de pluribus subjectis idem prædicatum, vel de eodem subjecto plura prædicata, vel de pluribus subjectis plura prædicata, aut per particulas connectentes, aut pronomina relativa, aut particulas causales, adfirmat, vel negat. *Triplex*

plex igitur propositionum copulativarum classis est, aliæ scilicet sunt copulativa*e simpliciter*, e. g. *Liberalitas & temperantia sunt virtutes*: aliæ propositiones principales cum incidente (Sätze, in welchen andere eingeschaltet sind) e. g. *Pythagoras, qui fuit primus Philosophiae inventor, docuit metempsychoſin*: aliæ denique causales (ein Satz mit seiner Ursache) e. g. *Homo gaudet capacitate varias artes discendi; quia est ratione praeditus*.

* Propositiones sequentes copulativis adnumerari nequeunt: Petrus & Andreas erant duo fratres; quia hæc duo subjecta per modum collectionis sumuntur. Joannes, Apostolus & Evangelista erat discipulus, quem diligebat Iesus; quia per hæc plura verba tantum indicatur unum individuum. Qui crediderit, & baptizatus fuerit; salvabitur: orans & laborans habet vita alimena; quia prædicatum non de quolibet subjecti membro adfirmari potest. Hæc duæ ultimæ vocantur Dialecticis propositiones de extremo copulato. Vid. Burckhäuser. Log. §. 140. Carpol. Gnom. in Scient. §. 190.

** Propositio incidens est vel determinans, vel explicativa tantum (ein bloß erklärender Satz, oder ein Neheusatz) si fuerit ratio, cur prædicatum subjecto tribui, vel negari queat, determinans est; secus; explicativa audit. Conf. Gravesande introduct. ad Phil. §. 437. Anton. Genuens, Art. Log. Crit. L. 2. c. 14. §. 4. p. 203. & 206. §. 7. N. 7. Anton. Vogt. olim in hac cathedra. Prof. Phil. rat. §. 72.

b) *Disjunctiva* (ein Trennsatz) in qua unum ex pluribus membris divisionis tanquam prædicatum de subiecto adfirmatur, vel negatur; quin tamen determinatur, quodnam præcise illud sit.



* Regula generalis pro disjunctione hæc est: *Quando divisiō est completa; etiam disjunctiō est completa.* Et perfecta dicitur disjunctiō; si ea est membrorum habitudo; ut alterum ab altero excludatur, nec plura in eodem habeant locum. E. g. *Corpus A vel est maius, vel minus, vel æquale corpori B.* Vid. Zallinger. Log. §. 54.

c) *Hypothetica seu conditionalis* (ein bedingter Satz) in qua prædicatum de subjecto non absolute, sed sub quadam conditione adfirmatur, vel negatur.

* Quid sentiendum sit de propositione, cuius hypothesis est impossibilis, vid. Log. Martin. Knutzen. §. 158. 159. p. 108.

** Nihil est sine ratione sufficiente; igitur etiam in qualibet propositione ratio adesse debet, cur subjecto prædicatum conveniat: concipi propterea in qualibet propositione ejusmodi ratio poterit tanquam hypothesis (die Bedingniß) & thesin dein ipsa propositio constituit. E. g. sit hæc propositio: *Homo est capax doctrinae.* Hæc sic resolvitur potest: *Si homo est ratione prædictus; est capax doctrinae.* Ejusmodi resolutio servit admodum ad propositiones determinatas eo facilius dignoscendas. Vid. Carpol. l. c. §. 201. Dalham. l. c. §. 131.

§. 48. Propositionum implicite compositarum classes celebriores sunt sequentes:

a) *Omnis propositio formaliter universalis est implicite copulativa;* quia omnis propositio universalis prædicatum de singulis subjecti communis inferioribus adformat, vel negat.

b) *Omnis propositio particularis est implicite disjunctiva,* & quidem disjunctione completa; quia omnis propositio

fitio

sitio particularis de uno incerto, adeoque de omnibus inferioribus disjunctive adfirmat, vel negat. Vide Stattler. Log. §. 212.

c) *Propositio modalis* (ein beschränkter Satz) est, quæ modum exprimit, quo subiecto prædicatum conveniat. In ejusmodi propositione modali duo sunt distinguenda, *modus* videlicet, & *dictum*, hoc est ipsa absoluta propositio; illud est determinatio habitudinis prædicati ad subiectum in propositione expressa.

* Ad determinandum, quando propositio modalis æquivaleat copulatiæ, adtendatur tantum in propositione modali adfirmativa, an adfirmetur ipsum dictum, nec ne: Quodsi ipsum dictum adfirmetur; tunc omnis propositio modalis æquivalet propositioni copulatiæ: secus propositione ejusmodi æquivalet propositionibus aut conditionatis, quando scilicet modus contingentia prædicatur; aut simplicibus, si modus possibilitatis prædicatur. E. g. *Possibile est*, *Petrum cras peccaturum*. In propositionibus autem modalibus negativis, si dictum adfirmetur, æquivalent propositionibus restrictis, e. g. *Petrus non cito currat*; quæ ex supposito, quod Petrus currat, sic resolvitur: *Quamvis Petrus currat; tamen non cito currit*. Vel etiam poterunt adcenseri propositionibus, quas alii vocant *discretivas*, quæ inter duo prædicata alicujus subiecti ita distinguunt; ut unum convenire, alterum disconvenire ostendant: & juxta hos sic resolvenda venit: *Verum est*, *Petrum currere*; sed falsum, *eum cito currere*. Si vero in propositione negativa dictum non adfirmetur, sed negetur; pertinet ad propositiones copulativas negativas, e. g. sit hæc: *Antichristus non exercebit sepius opera misericordiae*, quæ sic resolvitur: *Nec antichristus exercebit opera misericordiae, nec, vel multo minus exercebit illa sepius*.

D

d) Ex.



d) *Exclusiva proposizio* (ein ausschließender Satz) est, quæ ita subiecto prædicatum tribuit, ut per particulas excludentes simul exprimat, vel hoc prædicatum nulli alteri subiecto, vel huic subiecto non aliud prædicatum competere: e. g. *Solus Deus est immensus, oculus percipit solos colores*, prior *exclusiva subiecti*, directe, aut proprio talis; altera *exclusiva prædicti*, seu oblique talis a Dialecticis appellatur: addunt hisce tertiam, quam *exclusivam signi* vocant, quando scilicet prædicatum ita subiecto tribuitur, ut simul exprimatur, illud tantum tali inferiorum subiecti numero competere, e. g. *Tantum octo animæ sunt servatæ in arca Noemi*.

* Particulæ *solus & tantum* non semper significant exclusionem; sed prior quandoque significat idem, ac *solitarius* (einsam) uti in hac propositione: *Joannes Baptista solus vixit in deserto*: Immo quandoque ex contextu aut adjunctis aliis tantum innotescit ejusmodi propositionum sensus, exemplo sit hæc: *Cajus solus meditatur*. Particula *tantum* non raro relative (Bezugswise) accipitur, ut in hac: *Tantum obsequii Deo debemus, quantum præstare possumus*.

** Dantur etiam propositiones *exclusivæ crypticæ*, quæ particulas exclusivas non quidem expressas habent; ast ex ipso suo sensu indicant exclusionem, aut saltim illa ex contextu, aut aliis adjunctis manifestatur. Tales sunt sequentes: *Qui gloriatur, in Domino glorietur: Que seminaverit homo, metet: Deus uester est timendus, ei servendum, perque nomen ejus jurandum &c.*

*** Aliqui, sicut Stattlerus §. 214. Log. putant, omnem propositionem exclusivam constare duabus propositionibus

nibus affirmativa una. altera negativa; sed male illos arguere patet ex resolutione negativarum. E. g. *Non solus homo est a Deo creatus*, cuius profecto sensus alius esse negavit, nisi: *Homo creatus est a Deo*, & præter illum etiam res omnes aliae ab ipso creatæ sunt.

e) *Propositio exceptiva* (ein ausnehmender Satz) dicitur ea, in qua prædicatum ita de subjecto enuntiatur, ut per particulam *præter*, vel aliam similem exceptivam, aut aliqua subjecti inferiora excipientur a participatione prædicati; aut aliqua prædicati inferiora a subjecto removeantur, e. g. *Omnis angelus præter Diabolum est bonus, primi; Nullus hominum fuit omnibus imperfectionibus immunis, præter morales; secundi casus exemplum est.* Ex utroque exemplo patet, quod detur *propositio exceptiva subjecti & prædicati*.

* Inter propositionem exclusivam & exceptivam differentia nulla rei, sed tantum modi est; utraque enim propositio a nobis conficitur ob impedimentum universalitatis, hoc solo discrimine, quod in exclusiva impedimentum universalitatis fiat subjectum principale; in exceptiva vero universalitas impedita istud constitutat, & impedimentum in obliquo esseratur. En veritatem in exemplo; *sola anguilla exanimis non fluitat: omnis piscis exanimis, præter anguillam, fluitat.*

f) *Propositio comparativa* (ein Vergleichungssatz) est ea, in qua relatio alicujus pluribus, sed inæqualiter trahitur (*Anton. Corvin. §. 167. Philosoph. rat.*) Tria involvit ejusmodi propositio, scilicet: 1) res comparatas: 2) aliiquid, in quo comparantur, quod tertium comparationis



rationis vocarunt V. V.: & 3) requiritur, ut hoc tertium comparationis uni rerum inter se comparatarum magis, seu in gradu majori, alteri in minore tribuatur, e. g. Socrates fuit peritior methodi, ac Aristoteles. Quando hæc omnia requisita in propositione comparativa concurrunt, vocatur *completa comparativa*. Si vero tertium comparationis uni tantum rerum comparatarum conveniat, non vero alteri, uti in hoc exemplo: *melior est sapientia, quam stultitia; comparativa incompleta dicitur.*

* Accidit etiam non raro, ut neutri absolute conveniat tertium comparationis, uti in hac propositione: *Melius est habitare cum Dracone devorante, quam cum muliere litigiosa.* Utrumque enim in se spectatum profecto bonum non est; in comparatione autem malum levius præ graviore bonum utique dicendum venit. *Vid. Fortunat. à Brixia P. 2. A. 6. §. 221.* sed compara etiam cum eo Anton. Seguy p. 121. &c.

** Exempla resolutionis incomplete comparativarum si petis; en superius data resoluta: *sapientia bonum est, stultitia malum est, & ideo sapientia stultitia melior est. Malum est habitare cum Dracone, gravius malum est habitare cum muliere litigiosa, & ideo melius est &c.*

g) Compositarum resolubilium in copulativas alii plures constituunt, sed minori forte utilitate; hic enim referunt: *relativas, restrictivas, reduplicativas, discretivas, societatis &c.*, Has, qui penitus nosse voluerit, legat Daries. *Via ad verit. Crusii Weeg zur Gewissheit, & præ-*

*præsertim Reuschii systema logicum, ac Hollmann. uberior.
introduc. in univer. Phil. T. 1.*

ARTICULUS II

De veritate propositionum absoluta.

§. 49.

Ad doctrinam de veritate propositionum eo planius tradendam, pauca adhucdum *de materia* (der Stof) illarum præmonendi sunt Candidati. *Materia* vero propositionis cuiusdam sunt illæ ipsæ ideæ subjecti & prædicati, quarum inter se identitas aut distinctio adfirmatur. Quando prædicatum non potest non convenire, vel repugnare subiecto; propositio dicitur esse *in materia necessaria*: (a) Quando prædicatum successive potest inesse, vel abesse in eodem subiecto; propositio dicitur esse *in materia contingente*.

a) Alii materiam statuunt *impossibilem*, cui inesse dicunt propositiones eas, quarum prædicatum non potest non repugnare ipsi subiecto, quid hisce respondendum? *Et hoc bene; nihil enim interest, quomodo nodus solvatur. Verbis, non re differimus.*

* Differunt hæc inter se: *Hæc propositio est necessario vera, & hæc propositio est in materia necessaria.* Omnes enim propositiones etiæ eorum objecta vi suæ essentia se aliter habere, absolute potuissent, absente videlicet decreto divino; necessario tamen sunt veræ, *necessitate*, ut inquit, *actus*, qua objecta illarum ita se habent, quia sic acta dicuntur ab ente perfectissimo. *Talis est: Verbum adsumpsit naturam humanam.*

D 3

§. 50.



§. 50. Canon generalis pro veritate propositionum dignoscenda ex dictis C. III. de veritate idearum statui debet sequens: *Omnis proposicio vera est, si, quod de re tanquam subiecto adfirmatur, vel negatur, eidem re ipsa, & eodem modo conveniat, vel non conveniat, quomodo de subiecto adfirmatur vel negatur.* Sic enim datur conformitas cogitationum nostrarum cum earundem objectis, adeoque veritas. Vid. C. III. Quodsi vero vel unicum horum desit; jam falsa est propositio: quia sic jam adest disformitas cogitationum nostrarum cum earundem objectis, & consequenter falsitas. Corollaria ex hoc canone sequentia fluunt.

1. Ad veritatem propositionis adformativæ requiritur identitas idearum subiecti & prædicati; contra ad veritatem propositionis negativæ distinctio inter utramque; quia utraque propositio hoc enuntiat. (a)

2. Vera est propositio in materia necessaria (*Si de subiecti essentia non fuerit, existere illud, aut nisi prædicetur ipsa existentia*) etiamsi neque subiectum, neque prædicatum existat. Propositio enim talis non enuntiat existentiam: & essentialia, ac attributa (horum subiectorum prædicata) etiam rebus mere possibilibus convenient. Adde notas constantes aut constanter repugnantes nunquam non posse convenire aut disconvenire.

3. Vera non est propositio in materia contingente (*Si prædicatum non fuerit intentionale, seu actum quedam mentis nostræ enuntians, qualis est hæc propositio: Beatus aeternus est a me cognitus*) nisi & subiectum & prædicatum existat. Ratio est: Ejusmodi propositiones enuntiant actionem, vel

pas-

passionem physicam; & agere vel pati nulla res potest, quin existat eo, quo agat, patiaturve modo,

4. Vera est propositio copulativa, quando omnia illius membra simul sumpta vera sunt. Vera est propositio disjunctiva, quando vel unicum membrum verum est. (b) Vera est propositio conditionalis, quando nexus verus inter conditionem, seu antecedens, & inter conditionatum, seu consequens datur. (c) Omnes enim haec propositiones præcise tantum enuntiant. (d)

a) *Identitas ista tantum inter rectos extremorum requiriatur: si enim requireretur etiam quoad obliquum, plerique propositiones affirmativaे veræ forent simul falsæ. Exemplo sit hæc propositio: Omnis homo est a Christo redemptus, hæc enim faceret hunc sensum: Omnis homo est redemptus & Christus, qui certe sensus est propositionis de se veræ absolute falsus. NB. Dixi plerasque propositiones affirmativaes fore falsas, ad præcavendas tricas oggerentium fortasse hanc & similes propositiones: Petrus est a se ipso vulneratus. Hem agutias!*

b) *In disjunctiva perfecta unum duntaxat membrum verum esse posse, patebit articulo sequenti: In disjunctiva vero imperfecta aut incompleta omnia membra simul vera esse possunt; id tamen non habetur vi propositionis disjunctiva, sed vi materiæ sibi non opposita: e. g. Hic homo tam eleganter gallice loquens vel fuit in Gallia, vel instructorem habuit linguae Gallicæ adprime gnarum. Vid. Burckhäuser. l. c. §. 176.*

c) *Propositiones hypotheticæ rē ipsa argumentationes sunt, & Euthymenata, unum ex alio inferentia: hinc tantum ad easrum veritatem bonitas consecutionis, & non partium requiriatur. Hinc vera potest esse talis hypothetica, et si utraque pars componens fuerit falsa, e. g. Si homo habet alas, volare potest. Contra falsa esse potest, si utraque pars componens vera sit, e. g. Si sol fuerit corpus sphæricum, terra circa illum movetur. Conf. Dalham. l. c. §. 131. p. 90.*

d) Propositionum exponibilium veritas optime detegitur; si prius in copulativas resolvantur.

ARTICULUS III De veritate propositionum relativa.

§. 51.

Quando vera est propositio universalis; etiam particularis sub illa contenta vera est: quam membrum illius sit utpote copulativa. Ex eadem ratione, si falsa est propositio particularis (*nisi prædicatum fuerit tale, quod tantum toti collectioni convenit*) falsa multo magis universalis illam continens esse debet. Dialectici has propositiones vocant *subalternas* (*untergeordnete Sätze*) universalem *subalternantem* (*ein Satz, dem ein anderer untergeordnet ist*) particularem *subalternatam* (*ein untergeordneter Satz*) dicunt.

§. 52. *Opposito* est duarum propositionum idem subjectum & prædicatum habentium discrimen quoad simultaneam veritatem & falsitatem. Discrimen hoc potest esse triplex. Duæ propositiones ejusdem prædicati & subjecti ita sibi oppositæ, ut nullo in casu simul veræ, nec simul falsæ esse possint, vocantur *contradicториæ* (*widersprechende Sätze*). Duæ propositiones ejusdem subjecti & prædicati ita sibi oppositæ, ut nullo in casu, simul veræ, in materia tamen contingenti simul falsæ esse possint, *contrariae* (*ganz widerinander laufende Sätze*) &

& duæ propositiones ejusdem prædicati & subjecti ita sibi oppositæ, ut nunquam simul falsæ, attamen in materia contingente simul veræ esse possint, *subcontrariæ* (etwæ widereinander laufende Sätze) nominantur.

Scholion. 1. Ad indicandam cuilibet propositioni contradictoriæ notanda sunt sequentia:

a) Propositioni singulari adfirmativæ contradicitur per negantem ejusdem quantitatis, & vice versa.

b) Propositioni absolute universali adfirmativæ contradicitur per particularem negativam, & vicissim.

c) Copulativæ uti & exponibilibus per disjunctivam; disjunctivæ per copulativam,

d) Causali & modali specialius negando duntaxat causam, aut modum.

e) Conditionatæ negando nexum;

Sic enim nunquam simul veras, nunquam falsas simul futuras, ipsum contradictionis principium demonstrat.

Scholion. 2. Contrariæ sunt omnes propositiones copulativæ differentes in sola qualitate. Hæ enim nunquam simul veræ esse possunt. Si enim unquam simul verae forent, ex earum veritate vi §. 51. sequeretur etiam veritas particularium sub iis contentarum, adeoque simultanea contradictiarum veritas, quod tamen esse non potest. *Schol. pœced.* Falsas simul esse in materia contingente ex eo liquet; quia quod contingenter omnibus non convenit, potest un vel alteri contingenter convenire.

Scholion. 3. Subcontrariæ sunt omnes propositiones disjunctivæ ejusdem subjecti & prædicati, ac differentes in qualitate. Hæ enim falsæ nunquam simul esse possunt; quum alias ex §. 51. falsitas universalium continentium eas, adeoque simultanea contradictiarum falsitas consequetur. Veras tamen in materia contingenti ex eadem ratione *Schol. pœced.* evincitur.

Tantillum de illustris contradictionum materia, de amplissimo alterationum a seculis ferventium campo?

¶ SATIS. §. 53.



§. 53. *Conversio propositionum* (die Umkehrung der Säye) est ea mutatio, qua subiectum fit prædicatum, & prædicatum subiectum, servata eadem propositionis qualitate. Converti autem possunt omnes propositiones identicæ, 2) omnes propositiones, in quibus de subiecto sub certa conditione adfirmatur aliquid, quod non, nisi de illa specie vel genere adfirmari potest, sub sola illa conditione. 3) Propositio negativa quæcunque.

§. 54. *Propositiones æquipollentes* (gleichbedeutende Säye) sunt propositiones idem judicium diversis terminis exprimentes. . . . Verum hæc proprie Grammaticorum sunt: Nec ad plura movent, quæ Cl. Steinmeier in scholio ad §. 95. l. c. congerit.

C A P U T V I I I.

De ratiocinio.

A R T I C U L U S I

De syllogismo generatim & speciatim de simplice.

§. 55.

Quemadmodum Mathematici, si duarum quantitatum æqualitatem primo intuitu detegere nequeant, tertiam quamdam cognitam adsumunt, ex cuius comparatione cum prioribus, harum pariter æqualitatem aut inæqualitatem inveniunt: sic etiam agunt Philosophi, si duarum idearum convenientiam aut disconvenientiam imme-

immediate intueri non valeant, tertiam quamdam sibi cognitam utriusque tanquam mensuram applicant, & si convenire eas aut inconvenire tertiae perspexerint; etiam inter se convenire, aut inconvenire concludunt. Ejusmodi actus, quo mens nostra adsentit convenientiae aut inconvenientiae duarum idearum inter se mediante tercia cognitae dicitur *ratiocinatio* (eine Schließung, oder Schlussmachung) adsensus ipse hoc modo praestitus ratiocinium (ein Vernunftschluß). Ratiocinium ejusmodi verbis expressum, *Syllogismus* (eine Schlußrede) appellatur.

Scholion. I. Quantum ad ratiocinia conferat phantasia, & memoria, utramque consideranti patet.

Corollarium. Ratiocinium igitur omne adeoque etiam omnis syllogismus hisce principiis nititur: I. *Quaecunque sunt eadem uni tertio, sunt etiam eadem inter se.* Principium hoc sic declarari potest: Identitas nihil aliud est, nisi convenientia notarum; ergo quæ conveniunt uni tertio, debent habere omnes notas, quas habet idem tertium, notæ igitur, quæ sunt in tertio, sunt etiam in utroque isto convenientia, ac proinde easdem notas habet: sed quæ habent easdem notas, sunt eadem; patet igitur principium: vel si mavis, Quando A est C, & B est C, tunc etiam A est B.

II. *Quaecunque sunt distincta in uno tertio, sunt etiam distincta inter se,* seu quando una idea est eadem cum tertia, tunc cum hac easdem notas habet: & quando altera idea distinguitur a tertia; tunc una vel altera nota illi in- vel deest, quæ non in- vel deest tertiae: quum vero prima easdem notas habeat: quas tertia habet, etiam a prima distinguatur ea altera, necesse est. Aut si A est C & B non sit C, etiam A non est B.

III. *Quæ-*



III. Quæcunque sunt distincta ab uno tertio, neque propterea distinguuntur, aut eadem sunt inter se. Eleganter hoc principium explicat Storchenau l. c. P. I. C. 12. §. 126. in Schol. ab exemplo cupri duarum librarum, auri unius librae, & argenti trium librarum. In hoc casu tam aurum, quam argentum sunt distincta a cupro, & etiam distincta inter se. Jam vero ponatur, tam aurum, quam argentum esse quatuor librarum, tunc ambo distinguuntur a cupro; non tamen propterea distinguuntur inter se. Patet igitur, quando utraque idea a tercia distinguitur; nihil propterea pro earum distinctione aut identitate inter se inferri posse.

Scholion. 2. Regulæ ex hisce Principiis corollaria sunt sequentes.

a) In quolibet syllogismo simplice debent adesse tres termini diversi, duo qui comparantur cum tertio, & tertius quocum comparantur. Syllogismi propterea pluribus, quam tribus terminis, sive explicite, sive implicite constantes, vitiosi sunt. Nunquam propterea variari licet significacionem cuiusdam termini. En ex hoc capite vitiosos: *Mus est monosyllabum, mus rodit caseum, ergo monosyllabum rodit caseum: omne volans habet alas, tempus est volans, ergo habet alas. Homo est species, Alexander est homo, ergo Alexander est species.* Vid. Hollmann. l. c. §. 477.

b) In quolibet syllogismo debent esse tres propositiones: duas in quibus ambo termini comparantur cum tertio, una, in qua propterea identitas, aut distinctio illarum duarum idearum inter se infertur. Ultima hæc propositione vocatur *conclusio*, seu *consequens* (das Schlußurtheil) duas priores propositiones *præmissæ*, seu *antecedens* (die Vorderurtheile) dicuntur. Subjectum conclusionis, quia minus late patet, ac prædicatum, terminus minor, seu minus extrellum (der kleinere Hauptbegriff) prædicatum ejusdem ex ratione contraria terminus major, seu majus extrellum (der gröbere Hauptbegriff) & terminus denique ille, qui præmissis communis

munis est, seu quocum duo alii in præmissis comparatur, medius (der mittlere Hauptbegriff) audit. Consequitur inde, illam ex præmissis de rigore philosophico majorem esse dicendam; in qua prædicatum conclusionis: & minorem eam; in qua subiectum conclusionis cum termino medio comparatur. Ast rigor ille communiter non adtenditur; sed prior præmissarum major, posterior minor adpellatur.

* *Quum in conclusione tantum identitas aut distinctio duorum extremorum inter se inferenda sit; liquet, termino medio, qua tali, in conclusione locum haud esse: Vapulare igitur sequentes syllogismos: Virtus differt a vitio, injustitia non differt a vitio: ergo injustitia non differt a virtute. Omne bonum per se est meritorium, sed qualibet virtus est bonum per se, ergo qualibet virtus est meritoria per se. Non vero istos: Video pluviam, pluvia est cadens: ergo video pluviam cadentem. Omnis peccator confiteri debet peccata, ob que dicitur peccator, sed Petrus est peccator, ergo Petrus confiteri debet peccata, ob que dicitur peccator.*

c) In nullo syllogismo ambæ præmissæ possunt esse negativæ; quia alias juxta principium tertium nihil inferri posset. Hinc peccat syllogismus sequens: *Nullus homo est aſinus, nullus aſinus est bipes, ergo nullus homo est bipes.*

* *Bene hic respiciendum est ad regulam supra de propositionibus infinitantibus datum.*

d) Si una præmissarum sit negativa, altera adfirmativa, tunc, quia duo termini distinguntur in uno tertio, etiam distinguendi sunt inter se; quare si una tantum propositio fuerit negativa in præmissis; etiam talis conclusio esse debet.

e) *Quum in quolibet ratiocinio duo termini comparantur cum tertio, & mediante hac comparatione eorum relatio inter se in conclusione determinatur, termini in conclusione debent esse iidem, qui fuerunt in præmissis tam ratione significatus, quam ratione extensionis, sic male in-*



ferres: *omnis virtus me reddit felicem, virtutes philosophicæ sunt virtutes, ergo me reddunt in æternum felicem: omnis Physicus est doctus, nullus Logicus est Physicus, ergo nullus Logicus est doctus.*

f) Si medius terminus (*quando communis* & non singularis est) bis particulariter sumeretur; semel pro hoc & semel pro alio inferiore sumi posset, & sic comparatio non fieret cum uno tertio: medius igitur nequaquam foret. Hinc nullus est sequens syllogismus: *Omnis sacerdos est baptizatus, omnis mulier christiana est baptizata, ergo omnis mulier christiana est sacerdos.*

g) Si una præmissarum fuerit particularis, & conclusio universalis; tunc vel terminus medius in utraque præmissa bis particulariter, aut extremorum alter latius in conclusione acciperetur, ac in præmissis. Hinc si una præmissarum particularis fuerit; talis & esse debet conclusio. Hinc fallit: *Aliquod animal est rationale, omne sensitivum est animal, ergo omne sensitivum est rationale.*

h) Duæ præmissæ particulares, si fuerint adfirmativa; terminus medius bis particulariter sumitur: si negativa fuerit una; tunc terminus medius, si semel saltim fuerit prædicatum, universaliter acciperetur quidem; ast extremorum alter latior deinde foret in conclusione, ac fuerat in præmissis. En veritatem in exemplis: *Aliquis homo est pius, aliquis homo est impius, ergo aliquis impius est pius. Aliquis Philosophus disputat, aliquis rusticus non est Philosophus, ergo aliquis rusticus non disputat.*

§. 56. Nexus, quem conclusio cum præmissis habet, consequentia (die Folge) vocatur. Hæc forma rationis est; quia per hanc ab omni alia mentis nostræ operatione distinguitur. Regule bonæ consequentiae vulgo traduntur sequentes:

I Ex

I Ex antecedente vero sequitur legitima consequentia semper verum consequens. *Quidquid enim vere consequitur ex antecedente, in illo continetur; in antecedente autem vero nil, nisi verum continetur; salva igitur regula est.*

II Ex falso nihil sequitur. *Nihil potest sequi ex antecedente, quando non est nexus utriusque extremi cum termino medio, sed in antecedente falso non datur nexus cum termino medio; putatitius enim ille nexus, quem aliqui sufficere existimant, nexus non est, ergo ex falso nihil sequitur.*
Vid. etiam Schol. 2. §. 26.

III Ex antecedente necessario consequens necessarium, ex contingente contingens sequitur. Talis enim datur nexus inter ideas consequentis, qualis datur nexus illarum cum idea media; ergo si antecedens fuerit necessarium, aut contingens, etiam tale debet esse consequens.

ARTICULUS II

De Syllogismis compositis.

§. 57.

Qui simplicibus propositionibus constat, *simplex, compositus* vero syllogismus est, qui vel una propositione composita constat. Duo potissimum dantur syllogismi compositi, *hypotheticus* (eine bedingte Schlussrede) scilicet & *disjunctivus* (ein Trennungsschluss) *Hypotheticus* est, cuius major est propositio hypothetica, & conclusio insert vel antecedens, vel consequens ex minore reliquum. *Disjunctivus*, cuius major est propositio disjunctiva, minorque unum, ac alterum disjunctio-
nis membrum conclusio contineat.



Scholion. I. Compositi syllogismi ad simplices quidem reduci, & sic ad illorum regulas examinari possunt; at faciliiores sunt illis speciales, atque.

Hypotheticus nititur hifce regulis fundatis in principio rationis sufficientis. a) *Affirmato antecedente in minore, si id sufficientem consequentis rationem contineat; affirmatur etiam in conclusione consequens ipsum.* E. g. Si sol supra nostrum horizontem est, dies est: atqui sol est supra horizontem nostrum, ergo dies est.

b) *Si conditio in antecedente expressa unica sit ratio consequentis; tum negato antecedente etiam negari potest consequens.* Alias vitiosè concluderes, ut patet in exemplo: Si radii solares ad cibile projiciantur, lux ei inest, atqui non projiciuntur illuc, ergo etiam ibi lux non est.

c) *Quum sublato ratiocinato tollatur etiam ratio: hinc negato consequente etiam antecedens negandum est*

d) *Si unicaratio possibilis sit, cur consequens verum esse posse, affirmato consequente, etiam ipsum antecedens affirmandum est.*

Disjunctivus pro regularum fundamento principium contradictionis habet; hinc sequentes regulae deducuntur pro syllogismis, quarum major perfecte disjunctiva est:

a) *Affirmato in minore membro uno, cetera in conclusione neganda sunt.* E. g. Mundus vel existit a se, vel ab alio, sed non existit a se, ergo existit ab alio.

b) *Uno membro in minore negato, si duo tantum sint, alterum in conclusione simpliciter affirmandum est; si contradictric, non vero contrarie opponantur: si plura vero; reliqua sub disjunctione affirmanda.* E. g. Omne triangulum aut æquilaterum, aut æquicrurum, aut scalenum est; sed datum triangulum non est scalenum, ergo est vel æquilaterum, vel æquicrurum.

Scholion. 2. Quum syllogismus copulativus (eine verbundene Schlußrede) mihi sit omnis syllogismus, cuius major est propositione copulativa quæcumque: juxta vulgares pro numero propositionum regulas facile dirigitur. At qua ratione inducitur recessus ab illorum opinione, qui requirunt majorem copulativam negativam pro hifce syllogismis? Quia ejusmodi syllogismi reapse disjunctivi sunt sub forma copulativi obvelati, aut hypothetici cryptici. En Stattleri exemplum §. 254. log. Nemo potest Deo servire & Mammona: atqui Cuius servit Mammona: ergo non servit Deo. Nonne sic redditus, idem manet concludendi modus; vel aliquis Deo servit, vel Mammona, sed &c. aut quis servit Mammona, non potest servire Deo; atqui &c.? Videatur de hoc, sicut de omni syllogismorum compositorum doctrina, ita de hac Reuschii syst. log. §. 569. Meister §. 289.

ARTI-

ARTICULUS III
De syllogismis crypticis.

§. 58.

Syllogismi, qui a stabilitis haec tenus regulis dissentire videntur, re autem ipsa consentiunt, vocantur cryptici (versteckte Schlüsse). Tales sunt

a) Omnes simplices, qui plures quam tres terminos ante legitimam resolutionem habere videntur. E. g. *Sol est corpus cœleste: Persæ adoraverunt solem: ergo adoraverunt corpus cœleste. Genus enim passivum tantum tres terminos dabit.*

b) *Enthymema* (ein verstümmelter Vernunftschluß) in quo vel major, vel minor premissarum omissa est.

* Facile ex regulis supra datis omissa propositio detegi potest; si adtendatur; an in posita subjectum vel prædicatum conclusionis reperiatur.

** Consequencias, ut vocant, immediatas (unmittelbare Söhnen) mera esse Enthymemata syllogismorum hypotheticorum rem rite pensanti, facile adparet. Non igitur video, quare harum ergo tantopere torqueant aliqui generali ratiocinii definitionem,

c) *Inductio* (ein Bergliederungsschluß) est enthymema hanc majorem omittens: *quidquid de singulis inferioribus vere adfirmatur, vel negatur; de eorum superiore etiam vere adfirmatur, vel negatur, & quod singulis inferioribus convenient vel disconvenit, toti generi vel specie tribuit, aut negat.* Si omnia inferiora recensentur; completa: securus; incompleta est. Et iisdem, queis divisio, regulis utitur. Exemplum (ein schließend Beispiel) nil aliud, nisi inductio est.

d) *Dilemma* (ein Machtsschluß) est argumentatio, enjus prima propositio est hypothetica cum consequente disjunctivo, quod totum in minore tollitur: ac ideo in



conclusione ipsum antecedens negat. E. g. Sit illud D. Augustini : *Si vera non est fides Catholica; vel eam dicis propagatam cum miraculis, vel sine miraculis* (En maiorem hypotheticam cum consequente perfecte disjunctivo) sed neutrum salva tua opinione dici a te potest : *si enim primum dicas; fides cum miraculis propagata falsa esse non potest: si alterum; hoc ipsum fuit maximum miraculum:* (En utrumque consequentis membrum sublatum) Erga rursum vera est fides Catholica. Regula istius ex ipso patent exemplo & definitione. Plura dilemmata qui maluerit; inveniet apud Mako Log. §. 89. in Arte cogit. P. 3. C. 16. p. 240. Vid. etiam Aulus Gellius noct. attic. L. 5. C. 10. & L. 9. C. 16.

e) Sorites (ein Kettenschluß) est series enuntiationum, in qua prædicatum præcedentis fit tamdiu subjectum subsequentis, dum denique subjectum primæ jungatur prædicato ultimæ. E. g. *Quidam homo virtuti deditus est: omnis virtuti deditus est felix: omnis felix perpetuo gaudet: omnis, qui perpetuo gaudet, nunquam tristis est, ergo virtuti deditus nunquam tristis est.*

* In resolutione foritis a secunda propositione incipendum est, eaque majoris loco ponenda: huic prima pro minore subjungitur: adsumpta secunda pro majori adponitur tanquam minor præcedens conclusio, & sic ad finem continuatur. En exemplum *Omnis virtuosus est felix; quidam homo est virtuosus; ergo quidam homo est felix. Omnis felix perpetuo gaudet; aliquis homo est felix; ergo aliquis homo perpetuo gaudet. Omnis perpetuo gaudens nunquam tristis est; aliquis homo perpetuo gaudet; ergo aliquis homo nunquam tristis est.*

* Regulae pro forite sunt. *Omnes præmissæ præter priam sint universales; quia alias si plures particulares forent, terminus medius non sumeretur universaliter, ut patet ex resolutione præced. Et ex eadem etiam perspicue adparet, priam propositionem nunquam negativam esse posse.*

f) Epicherema (ein Schluß mit seinem Beweise) est syllogismus cum ratione uni, aut utriusque præmissæ adnexa.

g) Argumentatio polysyllogistica (eine Schlusskette) est series plurium argumentationum inter se connexarum. *Vitium syllogismi manifestum, Sophisma (ein Trugschluß) occultum (ein Fehlschluß) Paralogismus dicitur.*

CAP.

LOGICAE CONTRACTAE

P A R S II

D E V E R I T A T E I N V E N I E N D A

C A P U T I.


Notiones præviæ generales.

§. 59.

*V*eritatem Logicam supra §. 26, cogitationum nostrarum cum earundem objectis conformitatem dixi; unde etiam ideas, judicia & ratiocinia vera esse ostendi, quæ suis objectis vel possibilibus, vel existentibus sunt conformia. Conformia vero esse nequeunt; si vel pugnantia in se contineant, vel falsorum rationatorum sunt rationes, vel rationum falsarum rationata: fundamenta igitur veritatis logicæ sunt tria isthac requisita, & sine ipsis logica veritas dari nunquam potest. Falsitas jam habetur, ubi veritatis defectus, seu cogitationum cum objectis disformitas adest.

Scholion. Disputatum olim fuerat, an veritas gradus habeat, seu, ut dicebant, *magis & minus suscipiat*: ast si ipsa conformitas cum objectis, quam veritatem scholæ formalē vocarunt, adtendatur; illam, quum in puncto conficitur, gradus habere non posse, patet: Si vero conceptus, Propositiones, & ratiocinia ipsa, in quibus talis conformitas datur, (materialē veritatem dixerūt Veteres) respici-

cian-



ciantur, utique gradus admittit veritas: quam modo proprius, modo remotius, modo omnino rebus ipsis conformia sint. Rerum simplicissimarum notiones & judicia ex utraque idea simplicia hic excipienda esse, me non monente patet: aut enim nota illa simplex conformis erit, aut difformis suo objecto, adeoque vel vera, vel falsa; quam alia non restet, in qua oppositum reperiatur. Quo autem complexior fuerit idea, judicium aut ratiocinium; et plures utriusque gradus admittit. Immo notionem complexam, sententias, systemata vix repieres, quæ veri nihil omnino contineant: quodsi talia dentur; penitus falsa (durchaus falsche) ea vero, quæ plus falsi, quam veri continent; crassa (tölpelhafte) quæ ex aliquo capite deficiunt, aut errori locum faciunt; ambigua (zweifelhafte) in quorum autem determinationibus minimis definita inest veritas; præcisæ (genau bestimmte, oder durchaus richtige) appellantur. *Consultant.* Hollmann Log. P. 2. C. 1. §§. 124. & 125. Georg Friedrich Meiers Vernunfilehre I. S. 4. A. §§. 128. 129. 130. Lamberts neues Organon Alethiolog. I. S. von den einfachen oder für sich Gedächtnissen Begriffen. Seders Logik 2. S. 1. A. §§. 51. & 52. Roeber Instit. Log. C. 5. A. 2. §§. 122. & 126.

§. 60. Sæpe veri specie decipi possumus; ne igitur decipiāmur, lapide quodam lydio opus est, ad mentis nostræ operationes, veritatemque, aut falsitatem in illis latentem certo detegendam, seu ratio quædam requiritur, cur aliquid pro vero vel falso habeamus. Motivum ejusmodi, seu ratio mentein determinans, cur aliquid pro vero habeat, dicitur *veritatis criterium*: (Prüfungsgrund der Wahrheit) quod si tale fuerit, ut præter illud ad intelligendam veritatem non aliud re-

qui-

quiratur; *sufficiens*, *completum*, *totale*: in casu autem *opposito*, *insufficiens*, *incompletum*, *partiale* audit. Si rei cognitæ ipsi infuerit; *internum*: si vero aliunde repetatur, quam ex ipsa re cognita; *externum* nominatur. Sic propositionum omnium veritas, ex distincto idearum subjecti & prædicati intuitu cognita, per criterium *internum* cognoscitur. Contra, qui hoc judicium: *Deus est vindex malorum*, verum esse ex revelatione duntaxat cognoscit; ex criterio externo veritatem illius intelligit.

Scholion 1. Quum veritas alicujus rei ex ratione quædam patescere non possit; nisi simul patescat oppositi falsitas: eadem illa ratio, quæ determinat mentem nostram, ut aliquid pro vero habeat, etiam determinat eam, ut vero illi oppositum falsum esse intelligat; criteria igitur veritatis sunt simul criteria falsitatis.

Scholion 2. Possunt etiam plura unius ejusdemque veritatis criteria sufficiencia haberi. Sic, si hominem & oculis cernam, & simul mecum loquentem audiam; duo ejusdem veritatis, hominis scilicet istius existentis criteria sufficientia habeo. Unum pariter criterium ex pluribus insufficientibus fieri sufficiens posse, patebit infra; ubi ostendetur, plurimum virorum fide dignorum testimonia simul sumpta, constituere criterium unum sufficiens de veritate facti cujusdam; quamvis cujuslibet singuli testimonium insufficientis fuerit.

§. 61. Si sufficientia veritatis criteria ad sint, & cognoscantur etiam a mente nostra; tunc illa de cogni-



tionis suæ veritate ita judicat, ut neutiquam falsitatis suspicionem admittat: Status iste mentis ita secure de cognitionis suæ veritate judicantis, ut de falsitate non suspicetur, vocatur *certitudo* (Gewisheit) Homo ipse in tali constitutus statu *certus* esse, dicitur.

§. 62. Cognitionem nostram certorum graduum capacem esse, nemo est, qui ignoret. Res una persæpe a diversis, immo ab uno eodemque variis temporibus, aut locis jam clarius, jam obscurius cognoscitur. Quodsi ad eum gradum ascendat cognitionis nostra claritas, ut rei criteria interna sufficientia distincte intueamur; tunc *evidenter* de illa certi sumus: est enim *evidentia* (die Deutlichkeit) distinctus criteriorum ad rei veritatem sufficientium intuitus.

Corollarium 1. Patet ex hac definitione: omne evidens esse certum simul; sed non viceversa omne certum esse etiam evidens. Certitudo enim jam ex cognitione *clara* oritur; evidencia requirit *distinctam*: Certitudo ex criteriis etiam *externis* oritur; evidencia tantum *ex internis*.

Coroll. 2. Ex hac definitione liquet etiam, tam certitudinem, quam evidentiā non esse affectiones ipsius objecti, sed mentis duntaxat objecta cognoscentis: unde propriæ loquendo res ipsa nunquam certa aut evidens dici potest.

* Recoli hic ea possunt, quæ §. 26. Schol. 1. de vero dicta sunt, atque certitudini & evidentiæ commode applicari.

§. 63.

§. 63. Quando immediato intuitu sufficientia veritatis criteria, in re distincte inspicimus; *evidentia* dicitur *immediata*: (*eine unmittelbare Deutlichkeit*) *media* vero (*eine mittelbare*) ea nominatur, ad quam certa & *evidentia principia*, ex quibus legitime deducatur, prærequiruntur. Legitima veritatis ex principiis certis ac *evidentibus* deductio, *demonstratio est*: (*Ein Beweis im engeren Verstande*). Differt a *probatione* (*Beweis im weiteren Verstande*) tanquam species a suo genere. *Probatio* enim est actio, qua cognitioni aliquid additur, ut certa fiat: eaque *sufficiens* est; si præter illam ad conclusionis certitudinem nihil aliud requiratur: *insufficiens* si vero in sensu opposito.

Scholion 1. Demonstrationum alia *consummata* (*ein vollendeter*) est, quæ omnia certitudinis requisita explicite ponit; ea vero, quæ hoc non præstat, *non consummata* (*ein unvollendeter*) dicitur. *Directa* (*ein gerader*) est, in qua ex notione subjecti prædicati convenientia, vel disconvenientia deducitur: *Indirecta* (*ein Beweis durch Umwege*) vero seu apagogica, in qua ex contradictorio illius, quod demonstrandum est, interim pro vero adsumpto absurdum deducuntur manifesta, quæ oppositæ propositionis veritatem vi principii contradictionis evincunt. *Demonstratio directa* vel à *priore*, vel *posteriore*, ut scholæ loquuntur, rem certam ostendit. Quando principia adsumentur, quæ rem demonstrandam vel actu, vel cogitatione nostra antecedunt; *demonstrationem a priori*. (*ein Beweis aus seinen Säulen*) quando autem principia demonstrationis rem demonstrandam vel re ipsa, vel repræsentatione



tione subsequuntur; demonstrationem a posteriori (eit *Beweis aus seiten Folgen*) conficiimus. Omnis igitur demonstratio, qua effectus per causam, attributa per essentiam demonstrantur; a priore: contra omnis demonstratio ab experientia facta aut priori contraria, a posteriori demonstrat. Ipsam demonstrationem conficiendi methodus vel orditur a generalibus principiis, minus generalia inde deducendo, usque dum particulares veritates inferat; vel à particularibus ad generalia adscendit, & quomodo hæc ex illis rite deducantur, palam facit: a methodo priore demonstratio *syntheticæ*; (*Ein zusammenfassender, oder von dem allgemeinen auf das besondere schließender Beweis*) a posteriori *analytica* (*ein zergliedernder, oder von dem besondern auf das allgemeine schließender Beweis*) dicitur.

Scholion 2. Demonstrationis cuiuslibet finis est, vel veritatem latenter invenire, vel inventam aliis manifestare; quod ut apte fiat, sequentes regulæ adcurate observandæ: 1) *Propositio demonstranda adcuratissime determinatur.* 2) *Constituto questionis statu ab eo inchoandum, quod forte in re jam notius est.* 3) *In toto demonstrationis decursu eadem servetur (a) perspicuitas.* 4) *Hinc principia demonstrationis sint certa, extraque omnem controversiam posita; nec propositio dubia, precaria, multo minus falsa subrepatur, nisi adversarius falsum pro certo & evidente admittat.* (b) 5) *Demonstratio tentanda non est, ubi successus sperari non potest, nec debet.* 6) *Cavendum, ne committatur circulus, seu una propositio sic per alteram demonstretur, ut una sub eadem ratione sit alterius principium.* (c)

a) Contra perspicuitatem peccant facillime ii, qui verborum ornatum, solumque copiosum in demonstrando justo studiosius consequantur; uti & ii, qui nimia definendi & dividendi anxietate, minutias quasvis congerunt, quies lectorum, aut auditorem a proposito verius ab quam adducunt. Fatendum vero est, vitium hoc sèpius etiam ob-
jici

jici viris nequaque meritis a vocum ex antiqua barbarie
in scientias inveniarum patronis, & sectatoribus vix non
idololatricis.

b) Argumento ad hominem (ein Beweis nach den Gründen des Geanters) uti dicimus; quando ex principiis ab
adversario pro veris adsumptis veritatem nostram deduci-
mus, nulla habita ratione, num vera sint ista principia.
nec ne: in hoc tamen casu veritas etiam ex principiis ve-
ris deducenda est; ne vel alii inde offendantur: vel ipse
adversarius, si principiorum suorum falsitatem aliquando
perspexerit, inde adducatur, ut veritatem ex illis demon-
stratam pariter pro falsitate habeat.

c) De circulo vitofo vide etiam §. 36. Num circum-
lum hunc non committant ii, qui existentiam corporum
ex eo, quia Deus existeret, qui neutquam posset esse de-
ceptor; & rursus Dei existentiam argumentis evicturi phy-
sicos, illam ab existentia corporum demonstrare conantur?
Circulum vero istum nequaquam committunt, qui verita-
tem aliquam ex principiis, in quibus illa latet, eruunt:
haec enim demonstrationis natura est. Vid. Feder. I. c.
2. H. I. 2. §. 54.

§. 64. Optandum foret, ut veritatis criteria, vel
immediate, vel mediate saltim cognosceremus; adeo-
que, nisi ad evidentiam eluctaremur, certitudinem sal-
tim adtingeremus: ast non raro accedit, ut veritatis in-
dicia, aut omnino nulla, aut insufficientia saltim ha-
beamus: In priore casu omnis abest veritatis cognitio,
adeoque ignorancia ejusdem: in posteriore incerti sumus
de illa: est igitur *incertitudo* (die Ungewisheit) Status
mentis nostrae inter certitudinem & ignorantiam me-
dius, ubi quidem aliqua, sed non sufficientia veritatis



indicia cognoscuntur. Indicia insufficientia sunt ea, quæ quandoque fallunt: sed fieri potest, ut vel sæpius non fallant, quam fallant; vel ut ex æquo tam frequenter fallant, quam non fallant; vel ut sæpius fallant, quam non fallant: triplex igitur incertitudinis status est, *probabilis* (*wahrscheinlich*) *dubius* (*zweifelhaft*) *improbabilis* (*unwahrscheinlich*) si pro rei veritate adsunt indicia haud quidem sufficientia, sed talia, quæ sæpius non fallunt, quam fallant; *probabilis*: si indicia veritatis tam frequenter fallunt, quam non fallant; *dubia*: si frequentius fallunt, quam non fallant; *improbabilis* erit veritas.

Scholion 1. *Possibilitas veritatis & probabilitas* inter se differunt. Probabilitas enim sita est in momentis rationum, quibus impellimur, ad aliquid pro vero habendum; possibilitas vero in ipsa rei natura. Porro judicia, quæ sæpius quidem non fallunt, possunt in determinato quodam casu fallere: & vicissim judicia, quæ sæpius fallunt, possunt in determinato quodam casu non fallere: igitur nec possibilitas cum probabilitate, neque ipsa cum veritate, neque *improbabilitas*, ut vocant, cum falsitate confundi debet. Unde propositio probabilis quandoque falsa, vera contra quandoque *improbabilis* esse potest.

Scholion 2. Probabilitatem à dubio ad certitudinem, improbabilitatem à dubio ad ignorantiam & contradictionis cognitionem crescere constanter posse, & inde gradus utramque suos habere evidens est. *Summa probabilitas* inest propositioni certitudini proxima; reliquæ sunt eo probabiliores, aut minus probabiles, quo plura, vel firmiora; aut pauciora, vel firma minus habuerint veritatis criteria.

Sic

Sic enim proportionate aut s^{ap}pius, aut rarius fallent. Habant se igitur probabilitatis gradus, sicut se habet numerus casuum non fallentium, ad numerum fallentium. Veritatem hanc pulchre illustrat similitudine lusus aleatorii, eamque variis Casibus adplicat Lambert in seiner Ph^{ano}-menologie §. 3. Vid. etiam M^clairs Vernunfilchre à §. 203. usque ad §. 208.

Scholion 3. Casus, in quibus veritatis indicia non fallunt, vel determinari, ex inductione, vel analogia (Aehnlichkeit) possunt. (Vid. § 58. sig. c.) Inductio ista praeferit incompleta in physicis usum habet eximium; ad illam autem bene instituendam Hervath. instit. log. sequentes leges ex Boscovichio tradit.

- 1) Si existentia generalis cuiusdam in natura legis, ope inductionis laxioris stabilienda sit; necesse est, ut ea lex obtinere omnino deprehendatur in omnibus iis casibus, qui ita ad trutinam revocari possunt, ut deprehendi debeat, utrum illa in iis observeretur, an non.
- 2) Necesse est, ut ejusmodi casus non exiguo numero sint.
- 3) Tametsi lex illa quibusdam in casibus obtutu primo infringi videatur, non oberit; modo re accuratius perspecta iidem casus cum dicta lege conciliari possint.
- 4) Postquam absoluta quedam proprietas, hoc est talis, que neque a proportione cum nostris sensibus, neque a partium corpus constituentium multitudine pendet, ope inductionis pro universalis majorum, ac sensibilium massarum proprietate statuta est; eadem etiam ad minimas quasque particulas insensibiles, ad ipsa adeo corporum elementa, ope ejusdem inductionis extendi debet: nisi ratio positiva obstat; exigua enim corpuscula a majoribus specie non differunt. Sic e. g. uncia auri species non differt ab ejus centenario,
- 5) Proprietates vero relativae, seu tales, que vel a proportione cum nostris sensibus, vel a partium corpus constituentium multitudine dependent a massis sensibilibus ad insensibiles extendi non possunt; quum ratio illa, ob quam ex sensibilibus massis convenient, in



insensibilibus locum non habet. Sic majora corpora sunt certi coloris, non item exilissimæ eorundem particula.

Analogia est habitudo quædam, atque ad finitas, quæ ceteroquin diversæ in idem recidere, & velut unum esse videntur. Hæc in omni rerum genere argumentandi fundamentum præbet, veroque inveniendo, ac ab diciendis præjudiciis servit admodum; sic quum ignis omnia corpora dissolvat: ex analogia bene infers narrationum popularium de salamandra falsitatem. Physici profecto, si analogiam ademeris, magno ad veritates indagandas, stabilendasque adjumento carebunt: & ad conjiciendos evenitus naturaliter in iisdem circumstantiis futuros, ac redituros prioribus similes, haud parum certe confert; illa enim casuum similium exspectatio fundatur unice. Cautos tamen esse oportet eos, qui inde probabiliter satis concludere pro futuris voluerint, ac præsertim eos, quos eruditæ in sua logica distinctis propositionibus comprehensa Georgius Vath §. 33. præscribit, canones observare debent, videlicet: 1) Omnia adjumenta, quæ determinatum effectum præcedere solent, adcurate dispiciantur. *Ex iis enim & similitudo casuum eluet,* & solum prudenter judicari potest, utrum effectus futurus sit similis, nec ne. 2) Quod in certis adjunctis semper accidit, habendum est pro moraliter certo: quod nunquam, pro moraliter falso impossibili. Quod vero quandoque evenit, & quandoque non evenit, prorsus contingens est, ejusque probabilitas determinatur per adcuratissimum casuum quam plurimorum examen. *Unde porro colliges probabilitatem futuri eventus non tolli per hoc, quod quandoque contrarium acciderit.* 3) Contingentia non procedunt æqualiter; id est, *adjuncta, causæ similiiter dispositæ ad plures diversosque effectus modo hunc, modo illum producunt.* 4) Quando in causis ad plures effectus habetur æqualis dispositio; probabilitas est sicut unitas ad numerum reliquorum effectuum possibilium. *Quum enim contingentia non procedant æqualiter: igitur nullus*

ius effectus habet determinationem, ut p̄r altero frequentius eveniat, sic in alea jaētus quinarij numeri se habet ut unum ad quinque, quia jaētus quinque aliorum numerorum est æque possibilis. 5) Quando causa secundum se quidem ad plures effectus æqualiter comparata est; at variæ tamen dispositiones relativæ locum habere possunt: eo major est unius effectus p̄r altero probabilitas; quo s̄p̄ius dispositiones ad effectum eundem recurrentur. Exemplum habes in duabus aleis respectu numerorum 6. 7. 8. & respectu numerorum 4. 5.

9. 10. Horum enim dispositiones intra seriem casuum possibilium tantum bis; illorum autem dispositiones in duabus aleis per recurrent. b) Denique improbabile censendum est, forte, ut eventus contingat in iis adjunctis, quibus positis alias rarissime accidit. De abuso argumenti ex analogia petit consule potissimum Dalban l. c. L. 1. P. 3. C. 9.

Scholion 4. Licit contradictriarum utraque vera esse nequeat; probabilis tamen esse potest; quia utrique ea veritatis indicia adesse possunt, que s̄p̄ius non fallant.

Scholion 5. Quum duo in omni ratiocinio sint eadem inter se eo duntaxat modo, quo sunt eadem cum tertio quodam adsumpto; adperte sequitur, si præmissarum aliqua fuerit probabilis tantum, etiam conclusionem tales esse debere; Immo in ratiocinio concatenato quum ex una probabili probabilis tantum præmissarum nexus evadat; iterum conclusio inferri non alia, nisi probabilis potest.

§. 65. Auctoritas est excellentia dicentis quidpiam: divina est, vel humana pro varietate subjecti adserentis quidpiam: adsensus ejusmodi dictis præstitus, fides appellatur; & credere dicitur, quisquis adsensum hunc eujusdam dictis præstat. A natura autem ita comparati sumus, ut nemini credamus, nisi & scientia & veracitas



racitas (die Wahrhaftigkeit) quidpiam adserentis nobis constiterit, vel certo, vel probabiliter: fundamentum igitur auctoritatis omnis duæ istæ veracitas & scientia constituant: utraque enim simul sumpta vel certo, vel probabiliter efficit, ne decipiatur ipse adserens, neque decipiat sibi credituros. Qui veritatem aliquam a se perspectam alteri quoconque signo manifestat, *testis*: & actio manifestandi veritatem a se cognitam, *testimonium* dicitur. Quum vero testis vel de re quapiam sub sensus cadente, vel de dogmate quopiam, seu judicio quoddam universali rationis ope examinando testari possit; duplex inde fides, *bistorica* nimirum, & *dogmatica* enascitur.


* Quum de veritate rei cujusdam sub sensus cadente queritur, *questionem facti*; quum vero dogma quoddam examinatur, *questionem juris* scholæ passim adpellant.

Scholion. De cognitione per testimonium, illiusque ad certitudinem, vel solidam probabilitatem requisitis, plura ex proposito infra recurrent. Interim, quando ejusmodi cognitio probabilis tantum est, notasse sufficiat; quum criteria isthac veritatis sufficientia ipsi, de qua queritur, rei sint externa, probabilitatem enatam inde *externam* pariter dici. Probabilitatem internam præ externa securiorem esse, nemo erit, qui negaverit; & quum nemo a se impetrare possit, ut aliquid veluti probabile habeat, quia illud alii adfirmant, si scit, illos ex nullo fonte, nullis principiis, aut indiciis veritatis rei internis haurire potuisse; ipsam probabilitatem externam sine interna esse non posse, mihi omnino cum *Genuensi* l. c. L. 3. C. 4.

§. 9.

§. 9. videtur. Consequitur inde probabilitatem externam tantum praeceps habere roboris, quantum habet ratio, cui innititur. Unde errant magistrorum suorum antiquorum cultores cæci, qui omnem in philosophicis, aut aliis etiam scientiis sententiam rejiciendam existimant, eoquod cum illorum opinioniis non cohæreat. Meminerint hi istius Senecæ Quæst. nat. L. 7. C. 31. *Multa seculis tunc futuris, quum memoria nostri exoleverit, reservantur.* Sanctorum tamen Patrum auctoritatibus plus roboris in rebus philosophicis? Sapienter respondet Melch. Canus L. 7. de loc. theol. C. 3. *Sancti Patres in hisce artibus ac scientiis humaniis non Christum, sed Platonem, sed Aristotelem, sed Avicennam . . . aut cæcos habuere magistros; aut suum intellectum fallacem, aut alios homines erroribus obnoxios secuti sunt.* Saltim sacræ scripturæ auctoritas in rebus philosophicis etiam non probabilitatem tantum pariet eam, quæ summa fuerit, sed & certitudinem omnimodam? Sanctus Augustinus optime hanc questionem dissolvit, quum ait: *Non legitur in Evangelio Dominus dixisse: mitto vobis Paracletum, qui vos doceat de cursu solis, & Lunæ: Christianos enim facere volebat, non mathematicos.* Unde probandi mihi neutiquam sunt Philosophi isti, qui sacræ Scripturæ, aut Ecclesiæ auctoritatem in impugnandis aliorum, aut suis firmandis conclusionibus leviter usurpant. *Conf. Horvath. l. c. n. 187.*

§. 66. *Phoenomenon* (Erscheinung) omne illud est, quod sensibus externis adparet, illoruinque ministerio a mente percipitur. Ad explicanda ejusmodi phœnomena subinde aliquod adsumitur tanquam certum, quin tamen prævie demonstrari possit, illud re vera certum esse. Ejusmodi adsumptum vocatur *hypothesis* (ein angenommener Grundsatz).



Scholion. Circa hypothesis sequentia animadvertenda sunt. 1.) Quum singula phænomena, quorum ratio ex hypothesi reddi potest, totidem sunt rationes partiales de veritate ipsius hypotheseos: ipsa phænomena certa sint oportet, priusquam de ipsa hypothesi judicium feratur. 2.) Quum probabilitas postulet, ut non possit demonstrari contrarium: hypothesis talis esse debet; ut ejus oppositum demonstratione evinci nequeat. 3.) Si vel unicum phenomenon hypothesi repugnet; aut ex hac aliquid inferri possit, quod manifestè experientiae, aut veritati aliunde demonstratae aduersatur; hypothesis rullo modo probabilis est. 4.) Quo plura phænomena ex hypothesi explicari possunt; eo plura habet veritatis indicia; adeoque eo est probabilior. Si igitur omnibus phænomenis satisfaciat; tum summam quidem habet probabilitatem: attamea evidens propterea non est; nisi demonstretur insuper, eadem phænomena haud posse ab alia causa aut ratione sufficiente oriri: Quodsi demonstratur, *hypothesis in thesin* abit.

§. 67. Intellectum nostrum ad adsensum præter verum rapere nihil potest: In omni igitur probabilitantum, liberi sumus ad adsensum vel præstandum, vel suspendendum. Adsensus rei eidem per rationes insufficientes cognitæ libero voluntatis arbitrio præstitus, *opinio* (eine Meinung) vocatur. Libertas ista in adsensu vel præstanto, vel suspendendo ratio sæpius esse potest, cur rei de se falsæ tanquam veræ, aut vicissim annuamus: Adsensus ejusmodi rei de se falsæ tanquam veræ, aut vicissim præstitus, *error* (ein Fehler) dicitur. Subinde fit, ut periculum erroris ex utraque parte advertamus, illudque evitare conemur: Periculi istius

istius de errore committendo animadversio, ac fuga,
formido. (eine Furcht) adpellatur. Ejusmodi formido
non raro efficit, ut ab omni adsensu prorsus abstinea-
mus, in quo casu dubitare dicimur: est enim *dubium*
(ein Zweifel) suspensio adsensus ex errandi formidine
orta.


Corollarium. Promiscue formidare, aut dubitare, sce-
ptici, & imprudentis est: Philosophus vero, ut alterutrum,
aut utrumque possit, rationes habere debet sicutum aliquas,
quæ oppositum non improbabile prorsus evincant.

C A P U T II

De Cognitione per sensus.

§. 68.

Omnes ideas nostras aut immediate aut mediate fal-
tim a sensibus oriri, evictum jam suetat C. 2.
Cognitio sensu adquisita *experientia* (die Erfahrung) ad-
pellatur. Dividitur 1) in *strictius* & *latius dictam*: co-
gnitio immediate sensu adquisita, *strictius dicta* (eine un-
mittelbare); mediate vero adquisita sensu, *latius dicta*
(eine mittelbare) dicitur. 2) In *externam*, *internam*,
& *intimam* pro varietate sensuum, quibus adquiritur.
Conf. §. 10. Judicia experientia due formata, *intuitiva*
(anschauliche) dicuntur. Quando quis pro experientia
habet, quod talis non est, vel experientiam docere pu-
tit, quod illa non docet; *vitium subreptionis* (Eeschle-
bung).



chungsfehler) committit. Medium experiendi vel *observationes* (Beobachtungen), vel *experimenta* (Versuche) sunt. Est autem *observatio*, Cognitio phænomeni sine opera nostra existentis, e. g. *Siquis eclipsin lunarem cognoscit*: *Experimentum*, cognitio phænomeni nostra deum opera contingentis, e. g. qui machinam electricam ita disponit, ut vim materiæ electricæ experietur, experimentum instituit.

§. 69. Quidquid per sensus cognoscitur, existit, adeoque determinatum omnimode, & singulare est: qui igitur ad experientiam strictius dictam provocat, casum adferre singularem debet.

Corollarium I. Vitium subreptionis committit, qui abstracta, aut universalia se expertum existimat.

2.) Negationes rerum nemo experiri immediate potest; non enim in Sensus agere valent: hinc inanæ sunt locutiones hæ & similes: *Vidi, eum non adeste, audivi, eum non fuisse locutum*; dici scilicet oporteret: *non audivi, non vidi, &c.*

3.) Ad Simplicia corporum elementa, viresque prioritias abstractione devenimus; non igitur objectum sunt experientiæ.

4.) Quum causa sit ratio sufficiens alicujus entis a se distincti & finiti; Causam qui cognoscere voluerit, illius cum causato nexus perspicere debet: sed perspicere rerum nexus ex Coroll. 2. §. 24. est opus rationis, non Sensuum, igitur causarum Cognitio per sensus immediate haberi nequit. Nec duo entia simul, aut statim post se invicem sentiri, evincit, unum esse instar causæ, & alterum instar effectus.

5.) Omne

3.) Omne judicium Sensuum non, nisi modum, aut relationem rei sensæ, neutiquam vero adtributa, aut essentiæ repræsentat. Quidquid enim sentimus, sunt actiones objectorum externorum in organa nostra sensoria, sed illæ meri sunt modi aut relations; salvum igitur est Corollarium.

6.) Absentia, præterita, aut futura sentiri nequeunt; non enim in organa sensoria agere possunt. Quoties igitur in somniis, aut etiam vigilantes putamus, nos objectum quoddam percipere, de cuius absentia ex aliis rationibus certo constat, certi pariter sumus, non sensationem, sed phantasiam, visionem internam nos habuisse, aut simile objectum percepisse, male a nobis cum absente confusum.

7.) De gustu non est disputandum vulgo dicimus, quum Sensationes in variis varias esse posse, sumus indicaturi: nec male. Quum enim non res ipsas, sed mutationes duntaxat illarum ope in sensibus effectas sentiamus, haec autem mutationes pro varia dispositione organorum variæ pariter esse debeant: patet adferti veritas.

8.) Ex dictis hactenus facile adparet, quare cognitio per sensus etiam vocetur *Cognitio a posteriori*. Quum enim prius sit altero, quod hujus in se rationem continet; & posterior, cujus ratio in altero continetur: & cujuslibet effectus ratio in sua causa contineatur; patet, quando rem per effectus suos, seu per actionem in organa nostra sensoria cognoscimus, nos illam-a posteriori cognoscere.

§. 70. Ars inveniendi, græce εὑριστικὴ (Erfindungskunst) est dexteritas eruendi veritates incognitas ex cognitis. Si veritates, ex quibus eruuntur aliae, sensibus cognitæ sint, ars inveniendi sensualis (die finnische Erfindungskunst) nominatur. Media ad hanc ex di-



Etis §. 68. sunt *observationes*, & *experimenta*. Hæ autem, ut genuinæ sint, regulis quibusdam indigent, quibus dirigantur.

§. 71. Observationem rite instituturus animo sit præjudiciis libero, solo veritatis amore detento, objecto sensibus præsenti sufficienter adtendat, probe discernat inter ea, quæ in sensus incurruunt, & ea, quæ sibi imaginatur, aut ad quæ ex iis, quæ persentisicit, concludit, ne in vitium subreptionis incidat.

*) Non insipienter aget, qui observationem semel factam sibi sedulo animadvertat, aut etiam consignet literis, in similibus rerum adjunctis a se, si fieri potest, & aliis repetandam.

§. 72. Ut experimenta rite instituantur, præter ea, quæ §. *præced.* de statu mentis diæta sunt, requiriuntur, ut congrua diligentia prius præparentur, & adplacentur instrumenta, omniaque ea removeantur, quæ effectum fecuturum quovis modo impedire valeant. Ceterum & ea adtentione sensuum opus est, quæ prius commendata fuit; nec obserbit, si sèpius repeatantur experimenta.

Sbolion 1. Ut objecta externa per sensus rite percipere possimus, requiritur a) ex parte *Sensuum*. 1.) ut nullo vitio laborent. 2.) ut sensus objecto respondens, & si plures necessarii fuerint, omnes ii adplacentur. *Sensus nostrorum* vitio nullo laborare, & eorundem partim inter se, partim cum aliorum, iisdem sensibus utentium, sensationibus harmonia.

monia patet. b) *Ratione objecti*, ut illud in debita distantia col-
ocetur. *Hanc debitam distantiam quilibet pro varietate organo-
rum ab experientia discere debet.* c) *Ratione medii*, ut istud
sit uniforme: *Sic, qui baculum ex dimidia parte aquae im-
mersum consideraverit, curvum videbit; licet rectus omnino
sit.* d) *Ratione mentis nostrae*, ut ipsa congruam adtentionem
ad objectorum externorum impressiones adhibeat.

Scholion 2. Adtentione ista mentis nostrae cuiilibet exper-
turo quidpiam commendari satis non potest: medium enim
ea est, ideas perfectiores acquirendi; quum, quo diutius illa
in contemplandis objectis continuata fuerit, eo melius,
qua in iis deprehenduntur, distinguamus. Operæ igitur
preium erit, eas, quæ adtentioni excitandæ & conservan-
dæ inserviunt regulas hic recensere.

1.) Animus in primis de utilitate ac præstantia objec-
ti cognoscendi, de ipsius cognitionis pretio, de necessitate
adtentionis ad hanc acquirendam necessariæ convictus sit,
oportet.

2.) Ne ipsa adtentionis difficultas deterreat; a facilio-
ribus capiendum erit initium, qua adcurate familiaria redi-
denda, & sic paulatim ad difficiliora eodem modo progre-
diendo dexteritas quædam enascatur.

3.) Tempus adtentioni eligendum est illud, quo mens
ab affectibus placida, aliisque libera fuerit cogitationibus.

4.) Locus aptissimus erit ab omni turba vacuus.

5.) Quo vero melius conservari inchoata adtentione
possit, 1.) in longiore ejus exercitio, nisi animus jam ad
meditandum & indagandum fuerit obsfirmatus, non nun-
quam interponenda mora est. 2.) Vtilitatis & præstantiæ
ex adtentione repetendarum memoria refricanda. 3.) Quin
animus ab adtentione aut in - aut extensiore jam defatiga-
tus ad objecta leviora vel jucundiora non raro adyocandus
est.



Ut enim & excitetur, & conservetur adtentio, opus est, ut possimus, & velimus attendere, & adtentioem continuare. Sed velle praestat cognitio bonitatis ex illa repetenda; posse facit objectum viribus aquale, a quo tempore & loco assumptum. Veritas igitur regularum patet.

§. 73. PROBLEMA I. Claras ope Sensuum ideas consequi cupiens 1.) operam dare debet, ut objectum sufficienter a sensibus exhibeatur. Quare, ni liberis illud sensibus efficere possit, armandi sunt illi: Sic si e. g. objecta minus distant, visui succurrunt tubi, (Sehröhre) arietra optica; (Gerngläser) auditui tubi acustici: (Sprachröhre) si nimis exiguae fuerint res contemplandae, microscopia (Vergrößerungsgläser) inserviunt: si in obscuro posita; lumine intensiore adhibito clarescent &c. 2.) Adtentioem dirigere debet ad ea, quæ objecto a sensibus exhibito insunt, & sic claram illius ideam obtinebit; quia sic notas cognoscet ad rem agnoscendam, & ab aliis dicernendam sufficientes.

§. 74. PROBLEMA II. Distinctam rei ideam adquirimus. 1.) Formando prius de ea claram. 2.) Adtentioem successive in ea dirigendo, quæ in ejusmodi discerni possunt, & laborando, ut eorum pariter ideam claram obtineamus. 3.) Si ordo & nexus respiciatur, quo ea, quæ discerni in re possunt, eidem insunt. Sic figurarum geometricarum in tabulis depi-

Eta-

tarum, e. g. quadrati, trianguli, sic inscriptionum distinctas ideas nobis paramus.

§. 75. PROBLEMA III. Quam ideam adæquatam habeat ille ex §. 19. qui notas rei singillatim cognitas resolvere in simplicissimas, intuerique valet; eam ope sensuum consequemur, si 1.) de objecto ideam distinctam formaverimus: 2.) notarum sigillatim cognitarum notas rursus investigemus, ac tamdiu analysis continuationis, usque dum in simplicissimis subsistendum sit. Pro exemplo servire possunt omnia artefacta e. g. horologia, tubi optici, microscope &c.

* Ejusmodi ideas solo sensum usu tantum adæquatas esse physice, ultro patet: accedente autem ratione & mathematice, aut si mayis, metaphysice adæquatas fieri, exemplis superioribus ultra, quam sensus valent, & quoad fieri potest, refolutis, patebit. Multum juyabit ad ideas ejusmodi adquirendas, si rem in se prius consideraverimus, eam versando in partes omnes, adhibitis etiam anatomica partium resolutione, microscopeis, telescopiis, aut aliis instrumentis ac artificiis pro varietate objecti variis. 2.) Objectum ipsum conferendo cum aliis quoad primum intuitum similibus, aut instituta commixtione physica, aut combinatione, quod solenne est chemieis, aut in mente tantum possibles rei unius ad alias relationes considerando.

§. 76. PROBLEMA IV. Ope experientiae invenimus, utrum nota quæpiam in ente sit modus illius entis; si adtenderimus, an nota illa eidem enti, vel uni aut alteri



individuorum ejusdem speciei, vel generis pro aliquo tempore non inexistat, aut non existere possit: hoc si fuerit, entis, de quo quæstio est, modus duntaxat erit. Modus enim ex §. 20. est nota variabilis rei interna.

§. 77. PROBLEMA V. *Invenire adtributa entis cuiusdam*, ex præcedentis problematis resolutione per quam facile est. Adtributum enim est ex §. 20. nota constans in ente, immediate ex essentialibus profluens, modorum vero possibilitates aliunde, nisi ex essentia, neque determinante modorum præsentiam, neque absentiam cognosci, non possunt. Immediate igitur modorum possibilitas ex essentialibus profluit: adeoque adtributum est.

Scholion 1. Detectis modis & a notis reliquias separatis, ceteræ omnes vel *essentiales* sunt, vel *adtributa*: sunt enim notæ constantes tantum in *essentialibus* & *adtributa* dividibilis. Etiam illud, quod ex multiplicatis experientiis rei aonstanter inesse cognoscitur, vi inductionis incompletæ probabiliter concludi potest, aut esse adtributum, aut notam *essentialem*; & crescit illa probabilitas pro numero casuum, ista inductione comprehensorum.

Scholion 2. Essentialia ab adtributis non experientia immediata, sed ratione potius distingue valemus.

§. 78. PROBLEMA VI. *Notiones rerum distinctas universales a posteriore adquires* 1.) distinctam juxta §. 74. ideam de re quapiam singulari efformando. 2.) Hanc ipsam

ipsam cum aliis similitudinem quandam habentibus comparando. 3.) Notas, quæ ceteris manentibus variari possunt, rejiciendo. 4.) Constantes retinendo. 5.) Inter constantes, num adtributa sint, aut essentiales notæ, ope rationis discernendo. Sic enim idea omnibus determinationibus particularibus libera redditur universalis, & per discretionem adhibitam distinguitur.

* Rem in exemplo pulcherrime illustrat Stattlerus §. 356. aut, si mavis, illustr. Wolfius, quem in tota Logica practica secutus est prior e vestigio Duce. Suadent isti, ut res ipsa subiecti loco; notæ vero predicatorum instar adsumantur, atque sic tot judicia intuitiva formentur, quot notæ in re ipsa deprehenduntur: & modo prius dicto ea refescentur, quæ aut modi, aut determinationis rei tantum particulares sunt. Scire e. g. cupis, quid sit *furtum*; casus circumspice singulares: audiū vel viu percepisti aliquando. *Titius effracta mercatoris taberna merces abstulisse*: inde judicia intuitiva sequentia formabis.

1. *Titius effrigit tabernam mercatoris.*
2. *Titius abstulit merces e taberna.*
3. *Merces fuere mercatoris.*
4. *Mercator non aderat, quum Titius merces afficeret.*

Ex casu hoc unico peregrinis multis involuto difficulter evinces, quid sit *furtum*: revoca igitur iuxta dicta num. 2. casum quempiam similem, *furtum dictum*, & cum eo compara tuum: audisti e. g. olim, aut vidisti, *Sempronium scandisse de nocte clam in hortum Maevii*, ac arborrem inde exoticam abstulisse. Factum hoc judicia intuitiva sequentia subministrabit.

1. *Sempronius scandit in hortum Maevii.*
2. *Nox erat, quum Sempronius illuc scanderet.*



3. Sempronius abstulit ex horto Mævii exoticam arborem.
4. Arbor exotica fuit Mævii seu Domini horti.
5. Mævius non aderat, quum Sempronius arborem auferret.


In his duobus casibus vides notas constantes & utriusque communes esse tantum has, quod uterque actione sua 1.) abstulerit rem alienam: 2.) quod uterque abstulerit eam in scio, ac invito domino; facile igitur patet notio haec a posteriore distincta: furtum est ablatio rei alienæ in scio ac invito domino. Et fur est persona rem alienam in scio ac invito domino auferens.

Corollarium. Notiones sic determinatas ac distinctas jam supra Cap. 5. definitionem rei sistere, monui: patet igitur, quomodo definitiones rerum a posteriore re confici possint, nec latiores, nec angustiores suis definitis. Comparando enim cum omnibus rebus sibi similibus, & retinendo notas eas, quæ communes sunt omnibus, non latior, & ressecando eas, quæ quibusdam duntaxat convenient, non erit definito suo angustior definitio. Ceterum & hic ea, quæ supra ad §. 75. notavi, non negligenda. Et ne sit abundans, præstat regula 5. hoc ipso paragrapo indicata.

Corollarium 2. Quoniam definitio genetica ex §. 34. ea est, quæ ostendit, quomodo res quæpiam oriatur: palam est, eam adquiri ope sensuum posse; si rei confectioni aut adfuerimus ipsis, & quibus illa partibus constet, ac quo quævis alteri componatur modo, sedulo attenderimus: aut si rem jam confectionam in suas partes ressolverimus, & quo quælibet ordine, nexusque sit posita, probe examinaverimus. Quid? quod definitiones rerum nondum inventarum fieri posse, ostendunt rerum omnium inventores, Physices experimentalis Studiosi, Chemici: Permiscendo sic e. gr. liquores in certa quantitate varios, varios colores effinxerunt: sic Pulvis Pyrius, Phosphorus, Telescopia, & multa præsertim chemica orta sunt.

§. 79. PROBLEMA VII. *Cause rerum a posteriore dereguntur*, si sedulo objectum adtendatur, antequam, & dum mutationem patitur; & si mutatio ista in ente tam primum, & non prius accidat, acsi hoc alterum illi junctum adplicatumque fuerit; hoc ipsum alterum illius causa putanda est. Causa enim est *ratio existentia rei cuiusdam a se distincte sufficiens*: ratio vero existentiae hujus mutationis non fuit in ipso ente mutato; alias enim posito ipso ente & poni debuisset mutatio: neque fuit in aliquo alio ab ente distincto; quia ex observatione, aut experimento adcurate capto supponitur, praeter alterum nil rei adfuisse, aut quomodo cunque in illam influxisse: nihil igitur restat, nisi ut dicatur, rationem mutationis in ente subsecutae esse ens ipsum externum, adeoque causam.

Scholion. Studiose dixi, etiam sedulo adtendi objectum oportere, quidve accidat, aut acciderit in eo, antequam mutationem passum fuerit. Hoc enim nisi præstetur, saepe prius erronee quidpiam pro causa habebimus, quod tamen causa nequaquam est. Sic si quis solvisset in vitro quopiam Scobem ferri oleo vitrioli aqua temperato, & post aliquod etiam tempus eidem vitro infunderet aquam, frustulaque ligni Brasiliensis injiceret, colore subcæruleo aqua ista tingeretur: male autem inferret, quisquis solutionis præcedentis ignarus, solam hujus mutationis in aqua causam diceret lignum Brasiliense. Consultum igitur erit, ad causam rei eo certius detegendam circa eandem rem repetitas in variis rerum adjunctis observations aut experimenta instituere; ut sic adpareat, quænam vera sit effectus



cujusdam causa: Sic qui in aliud vitrum aquæ plenum farmentula ligni Brasiliensis injecerit, colore rubro, non subcæruleo aquam tingi, experietur. In ejusmodi casu, ubi plures in effectum quempiam causæ influere advertuntur, optimum etiam factu erit, si quælibet causa partialis primum enti mutando sola, adplicetur, altera dein jungatur, & sic pergatur; usque dum simul omnes additæ fuerint: sic enim facilius cujuslibet influxum determinare poterimus.

§. 80. PROBLEMA VIII. *Propositiones effici universales ope experientia facillime posse, jam ex dictis constat.* Sumantur enim ea per modum prædicati, quæ rei- vel attributa, vel essentialia esse, ope experientiæ deteximus; res vero ipsa pro subjecto constituantur: propositiones inde natæ omnes erunt universales; quia determinatae. *Videatur §. 45.* Ex eo etiam adparebit, quomodo ope experientiæ ex propositionibus indeterminatis determinatae reddi veleant.

Scholion. Nonne vero hactenus resoluta problemata repugnant dictis §. 69. Vi enim illius, quæ ope sensuum cognoscunt, ut, singularia duntaxat sunt? *¶* Ex ipsa problematum resolutione patet, etiam in subsidium advocationem, adeoque initium cognitionis duntaxat ope sensuum haberi, cetera deinde ope reflexionis abstractionis, & sic dari *connubium rationis & experientiæ*, ut vocant. (die Verschwisterung der Vernunft und Erfahrung) De hoc rationis & experientiæ connubio in physicis scientiis exoptando consuluntur *Elementa Philos.* Berthold Hauser Tom. I. P. 4. Q. 5. §. 509. Præclare iste notat, quodsi foli rationi fideremus, modos & causas phænomenorum fingere, mundumque idæalem in cerebro procreare perquam proclive foret

foret: Calculo igitur accedit sensuum experientia, & naturam consentire rationi palam ostendat. Castiget experientia rationem, & ratio experientiam: sic mutua sibi subsidia ferendo, facilius scientiarum systemata conduntur, feliciter defenduntur.


ARTICULUS II

De certitudine experientiae.

§. 81.

Nuntii sensus nostri fideles sunt, & fallit, quis illos fallere adserit; sive de externis, sive interno, aut intimo sensu paræmiam hanc obsoletam intellexerit. Ast judicia non raro ferimus ope sensuum minime vera? Culpa profecto in sensibus nulla, sed in ipsa mentis præcipitanter (Uebereitung) est, aut ferentis judicium de rebus non satis perpenfis, aut judicantis plus, ac cognitum per sensus fuerat. Sic non adtentis optices regulis judicium præcipitat, qui turrim quadratam eminus visam rotundam adserit: qui quum effectum duntaxat vidit, de causa simul percepta judicat.

§. 82. Triplicem dari certitudinem §§. 26. & 62. dixi; restat igitur, quænam menti nostræ certitudo enascatur, ex iis, quæ ope sensuum experimur. Ante omnia vero dispiciendum est, quam circa sua objecta sensus intimus certitudinem pariat. Est autem *sensus*



intimus (Das Selbstgefühl) ex §. 10. illa mentis nostræ facultas, qua ista mutationum sui ipsius præsentium conscientia est: actualis illarum perceptio, *sensio seu sensatio intima* dicuntur.

Corollarium. Objecta igitur sensus intimi tantum sunt, res præsentes: sentire enim quum sit mutationem præsentem percipere, ea, quæ absentia sunt, sentire non possumus; proinde etiam objectum sensus intimi esse nequeunt. Quum igitur mutationes menti nostræ olim præsentes, de novo nobis repræsentamus, illæ non per se ipsas, sed per imagines suas cognoscuntur, instaurata ejusmodi mutationis olim in mente præsentis conscientia, *imaginatio* est.

2.) Objecta sensus intimi tantum sunt *mutationes ipsius animæ*, seu in ipsa anima præsentes. Unde si tibi videris audire *musicam, tonitru, tumultum*; non illa externa scilicet *musica &c.* sed ipsa animæ *adfectio* sensus intimi objectum est.

3.) Quum *evidentia* sit distinctus criteriorum ad rei veritatem sufficiunt intuitus, & distinctus iste intuitus sit ipsi animæ præsens; *evidentiæ existentiam* objectum esse sensus intimi, patet: & quum *certitudo* sit status mentis ita secure de cognitionis suæ veritate judicantis, ut de falsitate non suspicetur; Status autem ipsius mentis utique menti inesse debeat: sequitur, & *certitudinem evidentiæ* esse sensus intimi objectum.

4.) Charakteres genuinæ evidentiæ hi tres potissimum adsignantur. Scilicet a) distincta habitudinis prædicati ad subjectum cognitionis. b) Suavis quedam necessitas ad adsumendum. c) Exclusio omnis formidinis de opposito; hique omnes sunt affectiones ipsius animæ: certum igitur est, & hos evidentiæ Charakteres esse sensus intimi objectum.

5.) Veritas est conformitas cogitationum nostrarum cum earundem objectis: Conformitas ista vel spectari potest.

est, prout est in ipsis objectis; hanc scholæ vocant *veritatem objectivam*; vel spectatur, prout est in cognoscente eam, seu ut est ipsa veritatis objectivæ cognitio; hanc scholæ vocarunt veritatem subjectivam. Eodem prorsus modo de certitudine loquendum, ac ipsa adeo evidentia. Veritas igitur subjectiva æque, ac certitudo & evidentia eodem spectata modo sunt ipsis mentis nostræ affectio, mutatio, modus; ergo & sensus intimi objectum.

* *Evidentia igitur tum quoad existentiam, quam quoad certitudinem ex ipso sensu intimo constat, illius objectum est: non video preterea necessitatem ullam, hanc pro speciali veritatis criterio adsumendi; nisi singula sensus intimi objecta specialia veritatis criteria dixeris.*

6.) *Dum anima suarum mutationum conscientia est; illas non quomodocunque tantum cognoscit, sed ita, ut plane intelligat, illas esse sui ipsius mutationes: cognoscendo scilicet, se ipsam mutari: se esse eam, quæ cognoscat, cogitat, judicet, ratiocinetur, cupiat, doleat, gaudeat, amet &c. Quum igitur mutationum suarum conscientia est mens nostra, simul conscientia est sui ipsius: hinc ipsa mentis nostræ existentia est objectum sensus intimi.*

7.) *Mutationes corporis nostri, quatenus sunt praecise mutationes corporis, non insunt ipsi animæ nostræ: non igitur sunt objectum sensus intimi.*

8.) *Natura mutationum seu essentia quoad omnes sui notas non sentitur a sensu intimo saltim immediate, non est immediata illius affectio: non igitur immediatum est illius objectum.*

§. 83. *De existentia sensus intimi per ipsum sensum intuitum certi reddimur: est instar lucis, quæ simul est manifestans & manifestatum: ipsa sensione intima se prodit. Actum ageret, quisquis illum ex rationibus demonstrare alteri conaretur.*



§. 84. *Ex sensu intimo ita certi sumus de existentia illarum affectionum, quæ immediate percipiuntur; ut nullo in casu falli possimus.* Fac enim aliquando nos falli circa perceptiones intimas: igitur objectum illarum non erit tale, quale percipitur; sed objectum illarum est ipsa adfectionis cuiusdam in anima existentia: non igitur existet objectum, quod tamen percipitur. Hoc quam absurdum sit, nemo sanus non videt. Habere enim perceptionem sine objecto idem foret, ac percipere nihil; sed nihili non datur perceptio, quum non habeat notas; igitur etiam non datur perceptio sine objecto: existere igitur illa objecta debent, quæ sensu intimo existere percipiuntur. Ridendi sane sunt, qui veritatem hanc eunt impugnatum. Non enim mutant isti frivilis suis objectiunculis eam, quæ in omnibus hominibus est, naturam, nunquam efficient, ut vel rudissimo persuadeant, id eum non percipere, quod re vera percipere sensione intima compertum habet. Nec Deus ipse, ut providus hujus universi gubernator, efficere posset, ut videremur nobis intime percipere; licet re vera nullam haberemus perceptionem: error videlicet ineluctabilis nos redderet obnoxios; & si unico in casu id etiam faceret, pro nullo in futurum certi essemus, semper fluctuaremur. Deceptor, iudicator Deus esse nequit, igitur ea, quæ sensu intimo percipi-

untur, certa omnino, indubitata semper sunt. Evidens hoc cuilibet est; & evidentibus semper necessario adsentiemur. Hinc bene Cicero *Quæst. Acad. I.* 13. *ut necesse est lancem in libra, ponderibus impositis, deprimi: sic animum perspicuis cedere.*

§. 85. *Quæ sensu quodam insive externo re vera percipimus, æque eandem nobis certitudinem pariunt, ac circa sensus intimi objecta habemus. Profecto eadem ratio pro hac perceptione pugnat, quam §. præced pro perceptionibus intimis adulsi.*

* At casus subinde accidit, quo quidpiam nos percipere putamus, quod tamen nequaquam percipimus? . . Ad perceptionem putatitiam a vera discernendam problematis supra resolutis & §. 69. potissimum jam satis caustum est: & de vera duntaxat perceptione propositio loquitur. Interim ut certius constet, de quibusnam perceptionibus ope sensuum adquisitis, & qua de illis certitudine certi simus, paragraphi sequentes expedient.

§. 86. Ut clarius pateat, quorū paragraphorum sequentium doctrina collimet; sciendum est, fuisse inter Philosophos sectam quandam Monistarum dictam, qui unius tantum substantiæ genus dari adseverunt. In duplē abibat tamen sententiam altera illorum erat, qui substantias duntaxat *materiales*: altera illorum, qui *spirituales* tantum admittebant: Piores *Materialistæ*; *Idealistæ* posteriores dicebantur. Ipsi

idea-



idealista in duas scindebantur classes: prima eorum suæ solius animæ existentiam realem admittebat, spiritus vero ceteros, sicut & corpora entia mere *idealita*, neutiquam vero *realiter existentia* concedebat. Classis hæc *Egoistarum* nomen tulit. Altera, præter animæ suæ, etiam spirituum aliorum finitorum existentiam realem agnoscebat; & hæc *Pluralistarum* vocabulo a priore discernebatur, & in hoc priore similis, quod æque, sicut ista realem corporum existentiam inficiabatur. *De idealistarum doctrina, origine, & posterioribus illius sectæ membris consule Disquisit.* *Philosoph.* de relatione sensuum a Cl. Agricola olim in *Charbedra Philosoph. Profess. Celeberr. editam.* C. 2.

§. 87. Tamen Egoistæ, quam Pluralistæ admittunt phænomena mundi materialis, & eorum mutuam a se invicem dependentiam: non negant ea, quæ sunt ac fiunt in hoc universo, eodem prorsus modo adparere, ac si revera extra ideam suam existerent corpora. Negant tantum re ipsa existere corpus suum, re ipsa cibo, potuque pasci. Non vocant in dubium perceptionem corporis istius perdurare non posse; nisi conservetur medianibus perceptionibus cibi, ac potus adsumptis. Unde corporis sui idealis conservandi gratia, non minus cibo, ac potu utuntur Idealista, quam qui realeri corporis sui præsentiam, aliaque extra se corpora ag-

nos.

noscunt; propterea quod singant, phænomena hæc ita a se invicem dependere, ut unum absque altero ponere non possit. *Vid. laudatus Agricola.*

* Intrinsecam mundi realis, uti & realis aliorum corporum existentia possilitatem; inficiari nullatenus idealista possunt: non enim contradictionem in suo conceptu involvunt: & quum omnia contradictionis expertia Deus producere possit; nec deest possilitas extrinseca: sola igitur quæstio restat, an re vera produxerit.

§. 88. Admisso semel, nos ejusmodi ideas habere, quasi istæ a corporibus extra nos positiꝫ provenirent, Idealista etiam admittere debent, dari rationem idearum istarum sufficientem; quum sine ratione sufficiente dari nihil omnino possit. Si vero rationem idearum istarum, queis mundum hunc adspectabilem, corporaque in eo vere existentia repræsentamus, in ipsis corporibus nequaquam dari contendant; dari igitur ea in ente alio corporibus distincto debet: ratio ergo, vel in ipsa anima, vel in spiritu quodam alio continebitur. Ast in anima eam non contineri ex sequentibus patefit. Si enim ideae istæ corpora externa ut re vera existentia repræsentantes essent factitiae, seu ratio illarum mens nostra foret; sequeretur, omnes illas vel libere, vel necessario, vel quasdam libere, & quasdam necessario ab ipsa effici. Omnes vero libere ab anima effici certe non adseret, qui perpenderit, quanta sit multitudo idearum



doloriferarum, quibus illa per vitam premitur. Profecto experimur in nobis metipsis, quanto saepius conatu admitamur, ut molestas ejusmodi ideas abigamus, obtineamus jucundas; sed irritos esse conatus omnes. Unde est, quod ii, quos sensu quodam destitutos dicimus, idea sensui illi respondentे careant? Quis mediis in tenebris constitutus ita adisci potest, acsi ideas illas corporum perciperet visu, quarum perceptione saepius tam mirifice delectabatur, & modo delectari perciperet? cur, si anima nostra ideas istas omnes sua actione efficeret, cur non in aestate in flaviis idealibus glaciem, in hyeme fruges in agris maturas, folia in arboribus, flores in hortis, in vineis uvas conspicit? Cur admota manui glacie idea frigoris molesta, remota vero, seu quoquo modo absente idea eadem resuscitata nihil molestiae creat? &c. Non igitur libere omnes istas ideas mens nostra efficit.

Neque etiam necessario omnes istas ideas ab anima effici posse perspiciet, quisquis eam, quae cuilibet ex sensu intimo patet, & in metaphysica, aut Philosophia Practica aliis firmissimis argumentis suffulcitur, animæ libertatem tuetur. Nonne per experientiam intimam compertum habemus, nos variis modis illarum idearum quasdam pro libitu tum adquirere, tum impedire posse? Nonne musicus modo hujus, modo alterius instrumen-

ti suavissimum sonum elicere, cantare jam ore, jam fistula potest? Non igitur *necessario* omnes istas ideas ab anima produci dicendum est.

Aliquas igitur libere, aliquas *necessario* efficiet. Verum, quas libere? & quas *necessario*? Procul dubio tantum philautiæ & anima Idealistæ habebit, ut, si penes se fuerit, molestas sibi ideas non procreat. Jucundas igitur libere, molestas *necessario* efficiet. Ast quoties fit, ut mente nostra, se etiam non cogitante simile quidpiam efficere, suavissimos audire concentus, phænomena spectare, ut mirabilia, sic jucundissima, sibi videatur? Quoties in somnis sine ulla sua actione dolores sentit, quos evigilans ab impulsu corporum aut collapsorum, aut impactorum provenisse judicat? Et necessitate etiam tantum circa quasdam ejusmodi ideas statuta mens nostra perfecte libera dici non posset. Ruit igitur & tertium Idealistarum effugium.

Secundo. Ideæ istæ, quas nos ab actione corporum præsentium provenire, & sensuales ideo dicimus, res tam stupendas, tamque mirabili inter se ordine connexas repræsentant, ut, si res ipsæ existant realiter, non nisi a mente summa sapientia prædita effici protuerint. Profecto, si homo solus existit, revera corpore prædictus, machina hæc ex tot ossibus, venis, musculis tam artificiose inter se connexis, tam dextre mobilibus



sola auctorem requireret sapientissimum. Nihil ergo de belluis, de plantis aut in planis latissime extensis, aut in montium amplissime diffusorum cacuminibus, versicolore pompa luxuriantibus; nihil de cælo stellifero, de statis anni vicissitudinibus, de motu siderum regulari dicam. Singula probarent nihilo minus ad veram sui existentiam mentem summa intelligentia & sapientia præditam omnino necessariam fuisse. Ast non minor certe sapientia requiritur ad res ejusmodi excogitandas, quam ad efficiendas. Immo, quantum sapientia sit, scientia media & fines fibi subordinandi; patet, ex cogitationem rei cuiusdam efficiendæ proprie ad sapientiam; effectiōnem vero illius ad potentiam activam, seu facultatem agendi esse referendam. Et nonne propterea ii qui concedunt quidem, ad res ejusmodi efficiendas, seu ad dandam illis existentiam realem, summam requiri sapientiam; ad excogitandas autem, seu dandam illis existentiam idealem eandem requiri, negant, nonne ii contra ipsos rei conceptus impingunt? At forte anima habet hanc sapientiam? Ipsa experientia altum reclamat: amplissima quidem idearum sensualium, facilissime adquisitarum copia gaudet mens nostra: at licet gaudeat illa; quanta non admittendum est virium contentione, ut opus quoddam ad exemplar naturæ vel umbratile fingat, aut vixum refingat? an unquam annales

Ennii,

Ennii, Livii, Poemata Virgilii, Denisii pluries lecta,
 eodem ordine, claritate, pulchritudine repete tecum,
 vel aliis recitando poteris? sapientiam igitur mentis
 nostræ admodum limitatam, ac poinde non summam
 esse... Sed ipsa tamen experientia testatur, mentem
 nostram feracem esse admodum idearum etiam de rebus
 istis, quas nec extitisse unquam, nec existere modo,
 nec postea extituras realiter, extra omnem est contro-
 versiam: hasque ideas mire inter se componit?... Fa-
 teor, plurium rerum nec existentium, nec extiturarum,
 & talium, quæ nec extiterunt unquam, ideis mentem
 nostram gaudere, easque etiam ordinato nexus sibi invi-
 cem componere, subordinare: ast an ideas istas omnino
 de suo habet? an non simulacula quædam, ut ita loquar,
 & exemplaria ex ipsis ideis hucusque sensualibus dictis
 adquirit? Quis cœus unquam delineavit firmamenti,
 colorumque ideas sibi? Quis surdus omnino avium
 cantus, Musicorum harmonias sibi repræsentavit? aliunde
 igitur Prototypon nancisci anima debet, ex quo ab-
 strahat, componat sibi ideas alias... At deludimur,
 quam ideas istas primitivas, ex quibus alias deinde ab-
 stractione & compositione formamus, aliunde, quam
 ab anima formatas arbitramur?.. Non Profecto delu-
 dimur, ex antea enim demonstratis anima nostra non
 gaudet sapientia summa, nec ut ens finitum gaudere



unquam potest: non igitur excogitare res eas valet, ad quas excogitandas ex pariter demonstratis sapientia summa requireretur. Res autem excogitare, concipere idem est, ac earum ideas effingere: mens proinde nostra illas ideas sibi effingere nequit, non sunt ideo *factualia*, sed *adventitiae*, ratio illarum in mente nostra nequam continetur. Adde; si ejusmodi ideæ ab ipsa mente efficerentur actione sua, illam & hujus actionis sibi conscientiam esse debere, quod tamen falsissimum esse ex sensu intimo constat.

At forte ratio illarum continetur in spiritu ab anima distinto? forte subministrabit iste hasce ideas, ac menti nostræ exhibebit? Hoc si foret, & spiritus iste summa polleat sapientia, necesse est. Ens autem summa pollens sapientia Deus est, & quidem solus est. Existeret igitur Deus, & iste harum idearum auctor, causa efficiens, ratio foret. Verum si Deus existit, existit ens omnibus perfectionibus puris præditum, ens infinite benevolum tam quoad se, quam quoad res a se creatas, ens sapientissimum, providentissimus hujus universi gubernator: igitur iudicare, in perpetuo errore relinquere, inclinare in judicia erronea creature rationales non decet sapientiam, pugnat contra prvidentiam, benevolentia illimitata non permittit. Profecto judicium istud: existunt corpora, tam necessarium est

est nobis, ut etiam post maturum examen abstinere ab illo non possimus. Quantumvis enim rem expendamus; tenemur semper aut stare, aut sedere, aut ambulare: cibis & potibus uti: corporis nostri conservationi invigilare, ideoque vitare corpora noxia, utilia vero festari, sed hæc præstare non possumus, quin saltim tacite judicemus, corpora existere. Ergo ab isto iudicio: *existunt corpora*, non possumus etiam post maturum examen abstine: Deus igitur in errorem nos necessarium induceret, si corpora non existerent. Existunt igitur veræ rationes idearum sensualium sufficienes. Porro: illud certissimum est habendum, cuius sublata certitudine præcipua religionis naturalis officia, ut pietas in parentes, amor erga patriam, commiseratio erga pauperes, divini cultus & religionis studium, gratus erga benefactores animus, voluntas mandatis Principum obsequiosa, societatis vincula, bonæ artes, scientiæ fere omnes, omnisque vitæ usus aliud nihil forent, nisi ludicrum quiddam & joculare: sed hoc fore nisi corpora existerent, cuilibet ex §. 87. bene considerato patebit. Certi igitur ab experientia sensuum sumus circa hoc iudicium: *Existunt corpora*; & quidem ita certi, ut nullo in casu falli possimus.

§. 89. Corpora hactenus indeterminate, seu in genere consideravimus; quid vero certitudinis præstat ex-



perientia sensuum circa corpora determinata, seu individua illorum?.. Distinguimus inter corpora determinata constantia, & subinde tantum adparentia: sic Corpus nostrum proprium, Sol, Aedes, quas inhabitamus, &c. corpora sunt constantia, seu continuo nobis obversantia: contra Plantæ exoticæ semel aut iterum exhibitæ, meteora, phænomena alia rariora subinde tantum adparentia sunt. Circa priora, constantia videlicet mens nostra æque absolute, æque infallibiliter certa est, ac circa indeterminata. Ineluctabiliter enim ad hæc, & similia judicia impellimur: exigit Corpus meum, exigit sol, luna, hoc & illud corpus mibi constanter obversans. Pone, vero ista judicia esse falsa; unde remedium corrigendi erroris? cui fini foret illusio hæc constans? nonne æque contra divinam providentiam pugnaret, in hisce judiciis falli nos, ac in prioribus circa corpora indeterminate sumpta? Ope igitur sensuum absolute etiam certi sumus de existentia corporum determinatorum constantium. Quid vero de corporibus istis dicendum, quæ subinde tantum adparent?.. Etiam circa existentiam illorum certi sumus, sed certitudine conditionata, si videlicet in hoc, vel isto casu particulari miraculum non subfuerit: Posse Deum miracula seu effectus extraordinarios & totius naturæ sibi relicta viribus altiores efficere, ex Metaphysica interim supponimus; extra casum autem miraculi

culi certos nos esse, circa existentiam corporum determinatorum etiam subinde tantum adparentium, dubitare tantum ille potest, qui organorum suorum sensoriorum structuram mirificam non consideraverit, aut immemor illius, quod Deus & natura nil faciant frustra, judicium suum in contrarium præcipitat. Certi ergo sumus, existere Corpus A, aut B, subinde tantum adparentis, certi sumus ex mutationibus in organis sensoriis ab illo effectis, nisi miraculum subsit; certi ergo sumus tamdiu, quamdiu natura juxta leges suas sibi duntaxat, non Deo, necessarias, immutabiles agit. Certitudo hæc est physica: circa corporum proinde determinatorum, etiam subinde duntaxat adparentium existentiam certi sumus certitudine vere physica.

Scholion 1. Hæc physica certitudo inanis non est. Non enim in quovis casu particulari formidanda sunt miracula: eventus sunt extraordinarii: legem naturæ alias acturam interrrumpunt: raro hæc interruptio, & non nisi ex fine supremo numine digno, digno sapientia & providentia ipsius fieri debet, ac potest; legem enim alias naturæ constanter inutiliter dedisset; indidisset mentibus humanis constantem, necessariam, incluctabilem, quam sensu intimo experimur, adeoque naturalem propensionem ad adfirmandam corporis præsentiam, quoties perceptionis cujusdam, mutationis in organo quodam sensorio concii nobis sumus. Deceptor igitur foret, iudicator, si stante hac lege formidini tamen continuae miraculi intervenientis nos relinqueret. Non ergo semper miracula cogitentur, rarissime



adsunt, non nisi ratione gravissima movente patrari ab ipsa Deo possunt. Manifestatio suæ gloriæ, Majestatis, Omnipotencie, testimonium pro veritate quadam ardua ratio ejusmodi forent, finisque sapientia divina dignus: finem vero hunc consequi ipse Deus non posset, nisi aliquo saltem indicio, aut revelatione scilicet immediata, aut ratione ad miraculum hocce detegendum disposita, acutaque manifestaret illud. Tamdiu de interventu miraculi licet esse securis.


Schelion 2. Dantur etiam ideaæ sensuales qualitatum corporum: De existentia earundem æque certi sumus per has ipsas ideas sensuales, sicut de ipsa corporum, a quibus proveniunt sensations illarum, existentia. Non enim a Deo produci possunt continuo sensations istæ; quia sic rursus ageret ludificatorem, deceptorem: producuntur igitur ab illis ipsis corporum qualitatibus, agunt illæ in organa sensoria, existunt. De hac igitur qualitatum sensibilium existentia perinde certi sumus ope sensuum, ac paragraphis præcedentibus uos de ipsa corporum existentia certos esse, evictum est. *An vero etiam ope sensuum æque certi de ipsa harum qualitatatem natura sumus?* . . . p. Sicut sensus non testantur, quæ sit natura corporum existentium; sed tantum, ea existere: Sic etiam non referunt harum qualitatum essentiam, sed existentiam duntaxat. *An dicta haec enim de qualitate corporum procedunt de qualitatibus absolute, an vero de relativis?* p. Qualitates corporum absolutæ (unbeschrankte Beschaffenheiten) sunt, qua corporibus, specata præcise eorum interna indole, convenient. Qualitates relativæ (verhältnismässige Beschaffenheiten) sunt ex, quæ præsentibus organorum mutationibus respondent. Quin vero sentiri non possunt qualitates illæ, quæ nullam in organis nostris mutationem efficiunt; siquidem ex sepius

jam

jam dictis sensatio omnis sit mutationis præsentis perceptio: satis constat, de qualitatibus tantum relativis haec tenus dicta esse intelligenda. Canones supra recensiti potissimum in hisce qualitatibus dijudicandis notandi sunt; multum enim varietas organorum & medii accidente rationis suffragio lucis adsument. At quomodo de qualitatibus absolutis, colore, sono, odore & sapore vero corporum genuine judicabimus? *¶* Non nostris solum sensibus in hac parte fidendum est; sed explorandum etiam, quid alii de iisdem communiter judicent.

Scholion 3. A qualitatibus corporum distinguendæ sunt ex affectiones, quæ per se non adiciunt sensus, sed tantum per qualitates sensiles a nobis cognoscuntur, puta: magnitudo, figura, distantia, motus, quietes corporum. Cavendum igitur est, ne feramus judicium de hisce ex testimonio sensuum illorum, quorum videntur esse objecta, re tamen ipsa non sunt. Sic falleris, si magnitudinem visu metiaris. Veritas ex objectis justo longius aut re- aut adductis, ex picturis objecta prominentiora repræsentantibus patet. Idem in distantia eodem sensu dijudicanda evenire, ostendunt tabulae regionum, præliorum, conventuum celebrium depictorum. De motu, aut quiete testantur navigantes, aut rheda vesti. De figuris rursus picturæ. At sic false sunt ideæ sensuales? *¶* Præcipitania nostra nos fallit, non vero sensus ipsi, referunt fideliter, quod referre in hisce circumstantiis possunt. Rationis suffragium consulatur, & aliud nihil adparebit, nisi ad summum hoc: *Sensus occasionem præbuisse nobis falsi judicii ferendi.*

Scholion 4. Plura quidem sunt, quæ contra haec tenus dicta obmovent; ast vim tamen argumentorum nostrorum non credunt. Potiora adducamus: a) ideæ objectorum sensibilium,



bilium, inquiunt, nil aliud sunt nisi imagines illorum, seu representationes in mente factæ; quam parum ergo tabella hominis, illius existentiam; tam parum idea sensuales existentiam corporum evincunt. . . . Verum p. Quemadmodum tabella ipsa visui obiecta, suam menti existentiam, ipsa in hoc organon actione; & nata inde idea sensuali probat; sic etiam corpora, ipsa sua in organon quoddam, aut aliqua actione, & idea sensuali enata inde existentiam suam evincunt. Latissima deinde disparitas est inter haminem absensem, & non agentem in organa sensoria, sed significatum duntaxat per tabellam, & inter corpora actu in organa sensoria impressiones facientia.

b) Sæpius in somniis, deliriis, amentia, aut etiam vigilis habemus easdem prorsus ideas phantasticas, ac si objecta illis proportionata coram intueremur, nec tamen inde inferimus corpora ista existere; igitur nec ex ideis sensualibus existentiam corporum inferre possumus. p. Ingens profectio discrimen est inter ideas phantasticas & sensuales: satis vivide etiam advertitur, si quid contingat in nobis, quum habemus ideas phantasticas, & quid, dum sensuales habemus, adcurate observamus. Somnians quidem, aut vigil etiam in phantasia sua corpus quoddam veluti praesens & coram se positum fingit, totumque suam attentionem ad illud considerandum ita convertit; ut ad aliud quidquam reflectere nequeat: facile proinde sibi persuadet, corpus illud extra se existere; eoquod sibi representat, quid esset illud corpus, si re vera existeret, nec tamen illud existens sibi representat: in imaginatione foriori, & præsertim in somnio ob defectum reflexionis discrimen hoc non advertitur; quod tamen, ubi animus pacatus & sibi rursus constat, facile detegitur. Sua enim vivacitate præphantasticis ideæ sensuales eminent quam maxime. Res in exemplo evidenter patet: Ut ut vivaciter miki ignem imaginor digitis meis admotum; ea tamen perceptio immensum distabit ab ea,

quam

quam sentio, dum digitos re ipsu ferro carenti admoveo. 2.) Phantasticam illam perceptionem ferme pro lubitu; eam vero sensationem, quam ex ferro carenti digitis admoto sentio, non lubens patior, nec dimittere pro lubitu possum.

c) Existentia corporum, & idear sensuales non habent necessariam connexionem inter se; hinc etiam ex ideis sensualibus non necessario inferri potest existentia corporum?

3) Nexus quidem intrinsecus inter ideat, quas dicimus, sensuales & existentiam corporum talis non datur, ut ex ipsa harum idearum notione fluat corporum existentia: aliter absolute seres habere potest, & de facto se habet in casu particulari. Quamvis autem necessitas absoluta non detur, datur tamen hypothetica, durante scilicet in nobis propensione illa constanti & inclutabili, ab ideis sensualibus ad praesentium corporum concludendi.

d) Ast unde constat nobis de hac constanti & inclutabili propensione? 3) Ex ipso sensu intimo in singulis actibus experimur, nos inclinari inclutabiliter, ad concludendam ex ideis sensualibus existentiam corporum: ex ipso puriter sensu intimo constat nobis, quod judicemus, nos in similibus casibus semper eodem modo judicasse. Debet autem dari ratio sufficiens horum judiciorum; hoc utique in voluntate nostra non reperitur, quia citra omnem voluntatis inclinationem fervuntur. Vel igitur a Deo proveniunt, vel a corporibus: Si a Deo; redeunt absurdia supra in probationibus addata: Si a corporibus; habemus, quod petimus.

Objectiones reliquae parum difficultatis habent; videri autem possunt apud Adamum Contzen, Storchenavium, Burkhauserum, Stattlerum, Agricolam in differt. laudata, & Antonium Seguy reliqua vero de modo, quomodo mens nostra adquirat hasce ideas, seu quomodo in mentem agere valeant objecta corporea, Psychologiae proprium est discutere.



C A P U T III.

De cognitione per rationem.

§. 90.

Facultatem, rerum nexus perspiciendi §. 24. *ratio-*
nem dixi: cognitio ergo per rationem adquisita est co-
gnitio veritatis cuiusdam ex ipsis illius principiis, qui-
buscum nexus ea a posteriore habet, seu quorum est ratio-
natum. Principia (*Grundsätze*) autem nihil aliud sunt, nisi
veritates generales, ex quibus aliae minus generales legi-
timo nexus, seu consequentia deducuntur, seu verita-
tes generales; quae sunt rationes aliarum minus gene-
ralium. Et quoniam omne, quod non ab experien-
tia, aut testimonio cognoscitur, ab aliquo, quod rei
internum est cognosci debet; alias enim cognoscendi
modus non supereft: hinc ea, quae per rationem cog-
noscuntur, ab aliquo rei ipsi interno cognoscantur ne-
cessa est. Principia igitur isthac & ab aliquo ipsi rei
interno repetenda sunt. Internum rei præter illius no-
tas nihil est: haec vero aut constantes, aut variabiles
sunt: ex variabilibus qua talibus nec res ipsa, conse-
quenter etiam nec rei proprietates agnosci possunt:
Principia itaque ex notis constantibus deducenda. No-
tae constantes sunt vel essentialia rei, vel attributa;
quare principia ex ipsis rei essentialibus, vel attributis

adsumen-

adsumenda: Essentialia sunt ratio cur omnes aliæ, notæ aut insint actu, aut saltim inesse possint: sunt igitur omnibus aliis priora; *bene igitur cognitio per rationem cognitio a priore vocatur.*

§. 91. Essentialia & quandoque etiam adtributa exhibentur in legitimis definitionibus; adtributa, nisi manifesto in definitionibus exhibeantur, facile possunt ex essentialibus deduci: fontes propterea principiorum sunt definitiones legitimæ: hinc qui scit legitimas definitiones invenire, facili negotio ex illis principia eruit.

§. 92. Definitiones ejusmodi vel ab aliis jam inventæ, vel a nobis primitus excogitandæ sunt: in utroque casu examine quodam opus est, ut datam, aut inventam definitionem absurdii in se nihil continere, veramque esse pateat. Examen hoc perquam facile est: aut enim perpendenda ea, quæ ex hisce fluunt & deduci possunt: si contradictionem aut aliqua, aut vel unicum illorum involvat; definitionem ex §. 59. jam falsam esse constat: falsorum enim rationatorum ratio est; contradictio si absuerit, possibilitas definitionis evicta est. Aut contradictionum definitionis adsumatur, & examinetur, ex illo quid educi possit: si vera duntaxat; falsa est definitio: si falsa; vera est definitio.



§. 93. PROBLEMA I. *Datis notionibus specierum ipvenire notionem generis potes: 1) retinendo ea, quæ sunt omnibus communia, 2) rejiciendo ea, quæ tantum uni, vel alteri propria sunt. e. g. fint definitiones bruti & hominis hæc: Brutum est ens habens vitam, & sensum: homo ens habens vitam, sensum & rationem; vides hæc duo convenire in omnibus notis excepta ratione, hanc igitur notam abjice, & habes definitio- nem genericam.* Genus enim est similitudo specierum in notis essentialibus. Usus sic inveniendi definitiones genericas in Geometricis & amplissimus, & facilis- mus est.


Corollarium. Quum genera inferiora respectu superio- rum sint species; patet etiam, quomodo illorum notiones formandæ.

§. 94. PROBLEMA II. *Data definitione generis in- venire notiones specierum.* Adde generi dato tot deter- minationes, quot illi sine contradictione addi possunt: determinationes istæ additæ notas differentiales effi- ciunt: obtinebis igitur totidem species, quot determi- nationes addidisti. e. g. veritas est conformitas cogita- tionum nostrarum cum earundem objectis, vel *absoluta*, vel *hypothetica*: adde has determinationes ipsi generi, & habes species. Hic modus est etiam inveniendarum di- visionum optimus.

§. 95.

§. 95. PROBLEMA III. *Data unius speciei notione invenire notionem alterius.* Libera hanc datam notionem ab iis determinationibus, quibus rejectis ceteræ salvæ persistunt; & sic rursus habes notionem generis, & juxta praxin §. præced. traditam facile species reliquas invenies.

§. 96. PROBLEMA IV. *Ex definitionibus eruere axiomata.* 1.) Ex data definitione omitte vel genus, vel differentiam. E. g. data est definitio legis: *Lex est decretum superioris obligans subditos.* Omitte genus; & has propositiones habebis: *Lex obligat; Lex supponit superiorem; lex fertur inferiori.* Omitte differentiam, & prodibit hæc: *Lex est decretum.* 2.) Convertendo e. g. *Quidquid est decretum superioris, est Lex; ubiunque habes tale decretum, ibi habes legem.* 3.) Propositionibus adfirmativis ex definitione proxime deductis substituendo æquipollentes negativas. E. g. *Quando non adest decretum superioris; non adest lex: ubi non est superior, lex non habet locum: ubi nulla lex, ibi nulla obligatio &c.* Axiomata enim sunt propositiones theoreticæ, seu nexus duntaxat prædicatum inter & subjectum indicantes, exæque indemonstrabiles ob eam, quæ se intellectis duntaxat terminis offert, claritatem: tales autem esse omnes & similes e definitionibus deductas propositiones, per spicacum omnibus erit:



* Eodem modo & postulata (*Weischedinge*) seu propositiones practicas, hoc est: enuntiantes, quid agendum, aut omittendum sit, easque indemonstrabiles elicies. e. g. si obligare subditum velis; fer illi legem: si nolis obligare; a lege ferenda abstine.

§. 97. PROBLEMA V. *Theoremata & Problemata formare.* Quum theoremata (*Lehrfälle*) sint propositiones theoreticæ demonstrabiles, Problemata (*Aufgaben*) vero propositiones practicæ demonstrabiles; debent ejusmodi propositiones ex demonstrationibus innotescere. Inventurus ejusmodi pervide definitionem rei aut datam, aut sponte inventam: revoca in memoriam propositiones cum hac similitudinem quamdam aut ex prædicto, aut ex subiecto habentes: hæ iterum vi legum phantasie subministrabunt alias: adsume ex iis ideam quamdam tertiam, & ratiocinare juxta regulas P. I. c. 8. traditas E. g. Concepisti hanc Dei definitionem: *Deus est ens perfectissimum*; & hanc entis perfectissimi: *est ens omnibus possibilibus realitatibus præditum*. Vi legis phantasie recurrent tibi hæ & similes propositiones. *Scientia est aliqua realitas: veracitas est aliqua realitas: sapientia, existentia a se, providentia &c. sunt realitates.* Ex his in formam ratiocinii dispositis inferes has & similes propositiones: *Deus novit omnia: Deus sapientissime mundum gubernat: Deus habet rationem sufficientem sue existentiae in semetipso &c.* Et hæ omnes sunt propositiones theo-

theoreticæ demonstrabiles, seu theoremata. Simili modo investigabis problemata. E. g. Definisti ante, *quid sit caste vivere, quid se ipsum vincere;* ex collatione utriusque potest hoc problema confici: *si vis caste vivere, vince te.*

Scholion. Si Problema fuerit *quaestio;* tria in illo consideranda veniunt, *quaesitum* (die Anfrage oder Aufgabe) *solutio* seu *responsuum* (die Auflösung) & *data* (das Herausgesommene). *Quaesitum ipsum* clara in luce collocandum, illius, quantum fieri potest, notio, aut idea distincta formanda. 2.) Ex ipsis notis in idea distincta contentis, aut ex connexis cum re, aut ex rebus aliis similibus petenda *solutio*, cuius datum si planum vel certum non fuerit; explicandum, vel demonstrandum est.

Corollarium. Quum corollaria (*Folgen, Zusätze*) sint, propositiones ex aliis facile fluentes; patet ex axiomatis & problematis haud difficulter corollaria deduci. Et *Scholia* (*Anmerkungen*) vel maxime serviant ad dilucidanda ea, quæ in datis problematum non satis perspicua sunt; est enim *Scholion* una, vel plures propositiones ad illustrandam aliam adhibitæ.

§. 98. PROBLEMA VI. *Data notione imaginaria invenire realem* 1) Adsume id, cui, id, quod in notione imaginaria fictum ac metaphoricum est, proprio convenit, & rationem, cur ei convenient, inquire. Sic ingenium *fæcundum* dicitur conceptu prorsus metaphorico, similitudinario, *agro* autem revera convenit esse



fæcundo; ratio vero, ob quam fæcundus dicitur, est,
quia ex seminibus sibi commissis copiosas fruges profert. 2.)
ex ratione inventa specifica rejice, & generalia dun-
taxat retine, atque ex iis medium comparationis effice.
In dato casu remaneret hoc, generalissime fæcundum
esse, quidquid vim continet proferendi ex principiis
rationata, quorum rationem remotam isthæc principia
continebant. 3.) Medium illud comparationis adplica
notioni imaginariæ, & ex ea realem efficies; sic enim
deprehendes, ingenium illud vero conceptu fæcundum
dici, quod vim continet, proferendi ex principiis notis veri-
tates plures ignotas.

Scholion. Regulam hanc sibi probe notent futuri Theo-
logiæ Candidati. Hac enim observata multum facili-
tatis habebunt, ad sensum sacræ scripturæ verum ex
locutionibus metaphoricis eruendum. Omnis enim
metaphora, nil aliud est, nisi similitudo absolute elata;
ratio, ob quam datur similitudo fit medium compara-
tionis, ex quo deinde rite adplicato facile est, verum
sacræ scripturæ sensum investigare.

§. 99. PROBLEMA VII. *Dato theoremate invenire*
ejus demonstrationem analyticam: 1.) Adecuratas subjecti
& prædicati definitiones efforma. 2.) Ipsarum rursus
notarum conceptum tibi distinctum effice. 3.) Ex-
trahe axiomata & postulata. 4.) Definitionem præ-
dicati, vel aliquod ejus axioma, majoris loco sume, &
pro

minore subiectum theorematis dati subsume; ut fiat syllogismus, in cuius conclusione theorema datum inferatur. 5.) Quam minor subsumpta probatione indiget; eodem modo & illam demonstra, usque dum ultimi syllogismi minor, aut ipsa subiecti definitio, aut axioma quoddam sit. E. g. sit datum theorema hoc: *Qui alium scienter perversa docet dogmata, in jus naturæ peccat.*

1.) Ope resolutionis idea distincta totius prædicati efformetur. *Peccatum* est, actio legi alicui naturali cognitæ contraria; hinc *peccatum in jus naturæ* est, actio legi alicui naturali cognitæ contraria. *Lex* juxta prius dicta est, decretum superioris obligans subditos. *Lex naturalis* est, Lex æterna Dei per lumen rationis homini manifestata. Complexus legum naturalium, *jus naturæ* vocatur. Ex distincta prædicati notione extrahitur axioma.

- a.) *Quicunque scienter ponit actionem, legi alicui naturali contrariam, in jus naturæ peccat.*
- 2.) Fiat resolutio ipsius subiecti, a.) *Docere* est, alteri rationes vel veras, vel adparentes proponere, ex quibus ipse cognoscat, aut saltem putet se cognoscere, propositionem prolatam esse veram. b.) *Perversum dogma* (ein verkehrter Lehrausz) est propositio falsa conexa cum corruptela morum: inde axioma



b.) Quicunque alterum docet perversum dogma, docet falsum connexum cum corruptela morum.

3.) Fiat resolutio ulterior, ut adpareant proximius connecta cum praedicato, aut subjecto theorematis: inde emergunt sequentes propositiones, partim definitiones, partim axiomata

Falsum adprehensum ut verum est error. Definitio

c.) *Error est imperfectio intellectus.*

d.) *Error connexus cum corruptela morum est imperfectio, plures & graves imperfectiones post se trahens.*

e.) Qui alteri adfert imperfectionem, statum illius reddit imperfectum.

4.) Inquiratur denique in legem naturae, quæ prohibeat, ne statum alterius imperfectum reddamus, & est haec: *Neminem laede.* Ex lege hac fluit sequens axioma

f.) *Actio, qua alterius status redditur imperfectior, est contra aliquam juris naturalis legem.*

Hisce presuppositis demonstratio sequenti modo componenda est.

Quicunque ponit actionem legi cuidam naturali contrariam, in jus naturae peccat. *Axioma sub signo a)*
Qui alium perversa docet dogmata, ponit actionem legi alicui naturali contrariam.

Ergo talis in jus naturae peccat.

P. m. Ille ponit actionem legi alicui naturali contraria-
riam, qui alterius statum reddit imperfectiorem *sub
signo f.*)

Qui alterum perversa docet dogmata, statum illius red-
dit imperfectiorem.

Ergo ponit actionem legi alicui naturali contrariam.

P. m. Ille statum alterius reddit imperfectiorem, qui
illi adfert imperfectionem. *sub signo. e.*)

Qui alterum perversa docet dogmata, adfert illi imper-
fectionem.

Ergo statum illius reddit imperfectiorem.

P. m. Qui alterum perversa docet dogmata, docet er-
rores connexos cum corruptela morum. *sub signo b.)*

Qui docet errores connexos cum corruptela morum,
alteri adfert imperfectionem. *sub signo d.)*

Ergo qui alterum perversa docet dogmata; adfert illi
imperfectionem.

§. 100. PROBLEMA VIII. *Demonstracionem synthe-
ticam conficere.* Si demonstratio analytica inventa fuerit,
vertatur ea ita, ut ab ultimo syllogismo incipias; sic
enim ab universalibus ad particularia progressa juxta de-
finitionem §. 63, schol. 1.) datam synthetica est. 2.)
si principia tantum habueris; sume illorum aliquod pro
maiore, b.) propositionem ideam aliquam communem



cum illo habentem, eamque aut evidentem, aut certam saltim excogita, c) hanc minorem statue d) conclusionem infer, quam rursus tanquam principium pro majore sequentis syllogismi adhibe, & perge eodem modo sicut antea argumentari. Quodsi continuaveris porro, omnes conclusiones tuorum syllogismorum tot erunt theorematum E. g. Habeas hoc principium: *Ens simplex non habet partes.* Propositio communem ideam habens erit haec: *Quod partes non habet, in eas resolvit nequit.* Conclusio: *Ens igitur simplex in partes resolvit nequit.* Adsume hanc conclusionem pro novo principio, propositio rursus communem ideam habens erit haec: *Quod non potest in partes resolvi, est incorruptibile;* conclusio: *Ens igitur simplex est incorruptibile.* En duas conclusiones, & totidem theorematum.

§. 101. PROBLEMA IX. *Demonstrationem datam dijudicare.* Quemlibet syllogismum seorsim juxta regulas P. I. c. 8. traditas examina, eorumque inter se nexum explora. singuli si boni fuerint, mutuusque inter illos nexus detur; tota demonstratio bona est.

§. 102. Cognitio a priori ideis distinctis, axiomatis, & postulatis conficitur; non igitur potest non esse certa. Candidati ad maiorem in hac practica Logices parte exercitationem adquirendam consulere pos-

sunt

funt ex auctoribus obviis *Knutzenium*, *Corvinum*, *Reu-*
scibium, *Stattlerum*, *Selsum*, & *illust. Wolfium*.

C A P U T IV.

De cognitione per testimonium.

§. 103.

Veracitatem (die Wahrhaftigkeit) & scientiam testis fundamentum dixi supra §. 65., quo omnis fides adhibenda illi nitatur. Antequam igitur adsensum præbeamus iis, pro quorum veritate testimonium cuiusdam adfertur; & de probitate testis, & de ipsius sufficienze ad id, de quo testatur, dijudicandum scientia constare debet. Ac de probitate quidem requiritur, ut saltim certi simus abesse ea omnia, quæ fidem auctoris suspectam facere possint: non autem præcise necessarium est, ut positive certi de illius præsentia simus. A natura enim propendet homo ad verum dicendum; nisi adsint igitur lucra, aut damna ex mendaciis adqurienda, aut avertenda: præsumendum semper pro eo est, quod naturæ conformius reperitur. Quum autem scientia non adeo communiter insit omnibus, immo frequenter absit; illa non præsumi in teste, sed certo de illa constare debet.

§. 104. Objecta testimonii & resultantis inde auctoritatis potissimum res factæ sunt; dogmata enim



rationis disquisitioni substant, &c, ut bene inquit *Dalbam* l. c. L. 1. P. 2. C. 5. Inertiæ tantum causa & adplicationis tædio non raro homines aliorum auctoritate delestantur. Sane ad quid rationem largitus fuisset Deus, nisi concessisset, ut ea uteremur? Et, quid si auctores isti sine ratione dixerunt, nonne insani est, iis etiam sine ratione credere? Si rationibus innixi; cur eas non potius exquiram, quam rationum reper-
tores?

§. 105. Factorum narratio, *bistoria* dicitur. Tria potissimum illius genera sunt: aut enim *naturalis*, aut *polisica*, aut *literaria* est. *Historia naturalis* (die Naturgeschichte) est, quæ recenset res ad naturam earum partium, quæ hoc universum constituant, atque ad artes, facta tamen ab hominum actionibus liberis, harumque sequelis proximioribus præcisione, pertinentes. Huc referuntur historiæ *Mineralium*, *Plautarum*, *Animalium*, *Phænomenorum*, *Meteorum* &c. *Historia politica* (die bürgerliche Geschichte) facta hominum libera, & cum his connexa enarrat: Pro varietate statuum, in quibus hujus mundi municipes sunt, varia quoque est. *Divina* (Göttliche Geschichte) sicut ea, quæ Deus hominum causa fecit, facitque. *Ecclesiastica* (Kirchengeschichte) exhibet ea, quæ homines Dei gratia gererunt, facta refert, ecclesiæ fata, actiones ministrorum, & homi-
num

num tum utilium ei, tum perniciosorum merita & de-
merita. *Prophana* (westliche Geschichtē) denique expo-
nit reipublicā prophanā in — & decrementa, impe-
rantium & subditorum fata mutua. *Literaria* est, (ges-
lehrte Geschichtē) in qua status, fataque eruditionis hu-
manā traduntur. Quælibet harum pro amplitudine,
qua se extendit, vel *publicæ*, vel *particularis*, vel *privatæ*
nomina fortit; & quælibet testimonii objectum est
proprium, atque per testimonia ejusmodi facta om-
nia, quibus non adfuiimus ipsi, addiscenda nobis sunt.
Juvabit ergo adcuratiū exponere, quæ in teste quovis
dotes requirantur.

§. 106. *Generales* pro teste dijudicando *canones*
sunt sequentes: a.) *Testis*, qui rei, dum accidebat,
adfuit, *oculatus* (Augenzeug) qui gestam ab aliis audi-
vit *auritus* (Ohrenzeug) dicitur. Priorem posteriori
præferendum, suadet ipsa præsumptio, quod rem &
voluerit, & potuerit intimius pavidere, & famam,
quo iverit longius, aut de — aut crescere magis. Sic
Publicistis maximi valet *Relatio Pacis Westphalicæ* ab Ada-
mo Adami, qui *ipsi tractationi* interfuerat, *conscripta*.

b.) *Testes* noti antehabendi semper *anonymis*: nisi
de gravi ratione constiterit, ob quam & potuerint, &
debuerint nomen suum occultare. *Experientia ipsa*
com.



comprobat, in scriptis ejusmodi anonymis plerisque haud quidquam, præter atram bilem, aut fraudes reperire esse; atque ideo auctoris ea dubiam faciunt veracitatem.

c.) Testis pacatus, & modestus præferendus acerbo & vehementi est; nisi aliunde constet, justam indignandi, suique commovendi causam testi ex ipso facto fuisse. Acerbitas enim & vehementia suspicionem odii movet, ac proinde arguit de defectu sinceritatis & scientiæ.

d.) Testis juratus non jurato præfertur: accedente videlicet religionis vinculo major stat pro sinceritate præsumtio. Qui autem semel pejeravit, ei postea credendum non est; & si per plures Deos juret. Sic etiam mendax semel reperto tuto credi imposterum non potest, & vix unquam poterit; si mendacium illud ex malitia dixerit.

e.) Quodsi constet, testem circa objectum aliquod vehementer adfectum, aut nimia imaginationis vehementia actum, aut sectæ cuidam plus justo addictum, si in reliquis etiam vir probus fuerit; in hoc tamen casu nauci est illius testimonium. Sic Herodotus ob quæstum & alienum a Corintheis animum male notatur: sic Alchemistæ ex perduto in artem suam studio mira de suis experi-

perimentis & phænomenis referunt. e. g. Creationem mundi, passionem Dominicam &c. sibi adparuisse. Sic auctores præsertim Galli ex nimio in Regem suum amore plus justo saepius extollunt facta illorum; nèvos excusant. Huc vel maxime referendi sunt quæstuoſi Principum adulatores.

f.) Testes plures de facto quopiam consentientes plus fidei merentur, ac unus contradicens; nisi suspicio prudens adſit, unum ex altero sua hauiſſe, aut studioſe in mendacium conſpiraſſe. *Ex hoc capite multi bistoriam belli Trojani, bistoriam septuaginta duorum interpretum in dubium vocant. Vid. Dalbam. l. c. §. 268. Antonius Genuens. L. 4. c. 2. §. 12.*

g.) Testi ſolitario rem paradoxam narranti caute tribuenda eſt fides, niſi de ſinceritate illius, & perſpicacia certi ſimus.

§. 107. *Canones de teste bistorico obſervandi ſequentes.* a.) In historia præſertim literaria, & natu- rali, ubi phænomena ſunt ſubtiliora, aut ob partium multitudinem requirunt adtentionem graviorem, ratio quam maxime habenda eſt ſcientia testis.

b.) Testes æquales (gleichzeitige) præferendi po- ſterioribus; ſicut oculati auritis: alio vitio niſi laborent. Duplex enim pro iis ratio pugnat; nam 1.) facto aut ipſi adſuerunt, quod testati ſunt, aut a proxime præ- fenti-



sentibus audire poterant 2.) testimonium iporum, si fuisset falsum, & res relata præsertim publice facta, redargui statim falsitatis potuisset.

* Testium loco etiam; valent, Literæ publicæ, Diplomata, Nummi, Inscriptiones, Statuæ, & alia Monumenta publice posita, Libri auctoritate publica, aut privata conscripti; de quorum probitate §§. sequentibus dicam.

c.) Testis domesticus seu rei factæ præsens præfatur absenti, quia major pro illo stat scientiæ præsumptio

d.) In conflictu igitur testium respiciendum est ad hæc. 1.) quid adserant æquales: 2.) An hi conspirent in eodem facto: 3.) Si conspirent; an nullo ex vitiis generalibus §. *præced.* adsignatis laborent: si nullo laborent defectu, posterioribus præferantur; si laborent res dubia est, & ex iis, quæ de testibus posterioribus adhuc dicentur, expedienda 4.) si dissentiant; prærantur præsentes absentibus, aut ii, de quorum probitate ac dexteritate constat certius.

e.) Testium æqualium silentium jam locum dubio facit: dispiciendum igitur sedulo est, num prudens adfuerit ratio tacendi, nec ne: prius si fuerit; male argumentaberis: *Omnis æquales silent de facto hoc, ergo non consigit:* In posteriori casu videndum rursus est, an

causa

causa adsit quædam positiva, quæ ipsos impulisset, ad mentionem aliquam de facto faciendam: hæc si aderat, & tamen tacuerunt; ex silentio illorum bene concludes ad falsitatem facti.

Corollarium. Hinc male contra Christianos concluderent, qui ex eo, quod primitiæ Ecclesiæ Patres, nullam de variis mysteriis mentionem fecerunt, argutarentur, credita hœc ab ipsis non fuisse. Ob persecutiones enim satis atroces justissima fuit illa ex primis seculis tam celebris arcana disciplina. Contra falsitatis merito argues conficta Apollonii Thyanæ miracula. Hæc enim, si vera fuissent, multum inde superstitione gentilium patrocinii habuissent; nec testi ea revelanti timendum quidpiam, speranda vero plurima fuissent.

Scholion. Causæ impulsivæ ad mentionem aliquam de ejusmodi factis faciendam forent lucrum adquirendum, damnæ devitanda, & horum uno præsupposito nexus cum ea, quam scriptor pertractavit, materia.

f.) Si scriptores posteriores narrationem suam ex quopiam antecedente desumptferunt; tanta auctoritate pollebunt, quanta fontes, e quibus eam sunt mutuati.

Corollarium. Ut certi igitur quidpiam statuere possis; iidem fontes adeundi sunt & recentiorum ex iis auctoritas dijudicanda. Putidi si illi fuerint; auctoritas posteriorum nulla est. Ex hoc capite rejiciuntur multa a *Plutarcho* in vitas virorum illustrium, a *Dio gene Laertio* in vitas Philosophorum, a *Plinio* in historiam naturalem congeta.



g.) Ad probitatem etiam historici spectat; ut constet, eum historiam suam non styli exercendi gratia, sed ex veritatis amore conscripsisse

* Ob nimiam styli curam Xenophontis Cyropaedia, Livii, Curtii historiae a nonnullis male notantur.

§. 108. Testimonium auritorum in serie successiva, *traditio* (eine mündliche Ueberlieferung) testimonium auritorum in serie simultanea, *fama* (ein öffentliches Gerücht) dicitur. Circa utramque canones sequentes statuuntur.

a.) Traditio & fama vel habent ortum suum a teste oculato, eoque verace & rei gnaro, & a talibus etiam propagata fuit; & tum testimonia sunt vera: si careant teste oculato, aut probo, aut rei gnaro; rumores sunt sine capite plerumque fabellæ: nisi facta referant tam illustria, quæ in conspectu totius nationis, populi, civitatis contigerunt, & quorum, nisi re vera fuissent peracta, propagationi certe a tanta multitudine contradictum fuisset: si vero traditiones ab incertæ fidei, rudibusque hominibus propagatae fuerunt; nulla iis tribuenda fides est, usque dum a melioris notæ testibus resciantur.

Corollarium. Hinc traditiones antiquæ de facto, aut clam, aut coram paucis duntaxat, hisque forte rudibus patrato non nisi post maturum examen, & detecta graviora veritatis indicia admitti possint.

b.) Si

b.) Si traditio e bono profecta fonte, invariata semper & uniformis fuerit: si consona cum illius, a qua provenire dicitur, ætatis, aut populi moribus, institutis, ac consuetudinibus fuerit: præsumi probabili-
ter, & quandoque certo pro ea potest.

c.) Si vero æquales scriptores, aut ii, qui vixerunt postea, eam traditionem scire, & pro materiae suæ pertractatione uti illa commode & potuerunt, & debuerunt, usi vero non sunt; sublestæ est fidei.

d.) Continuæ traditioni de authentia alicujus libri tuto credere possumus. Injurius profecto in omnis ætatis eruditos ille est, qui contrarium defendat: & hac nostra præsertim ætate præ reliquis arte critica insigni si perduret eadem intacta; stolidum prorsus foret illi non subscribere.

* Ridendum merito Joannem Harduinum, qui in profusione chronologiae ex nummis antiquis restitutæ, de nummis Herodiadum omnes auctores classicos, præter opera Ciceronis, Virgilii Georgica, Satyras Horatii, & Plinii Historiam naturalem suppositios statuit, Dalham l. c. §. 253. pronuntiat. Ait videlicet Harduinus, libros istos seculo primum decimo tertio a quadam hominum societate in Gallia, duce quodam Severo Archontio e paucis genuinis operibus in tam vasta volumina fuisse ampliatos. At unde tam pura latinitatis opera ea ætate, ubi Guilielmus Parisiensis Martinus Polonus, Vincentius Bellovacensis &c. tantam sermonis barbariem referunt? Quare sine ullis argumentis in contrarium adductis solo suo adferto inveterata traditioni



obnittitur? Quomodo fieri potuit, ut Monachorum societas tot exemplaria produxerit, quibus toti orbi imponeret? Quomodo tam eleganter græco ore loqui poterat; quum tamen nullum aliud inter Gallia eruditos hujus lingue vestigium ista ætate occurrat? Lapidès profecto, e terra seculo XIV. eruti, inscriptiones referebant, exakte *Licio*, *Dioni*, *Diodoro Siculo* consonantes; quomodo Galli illi falsarii, seculo XIII. viventes, figmenta sua ignotis & defossis adhucdum inscriptionibus lapidalibus conformarunt? *Propositum*, ulterius inquit Dalham l. c. in notis, *Harduino* fuit, ut traditionem esse unicam & infallibilem regulam ostenderet, devolvendi ad nos genuina ex ultima antiquitate monumenta; ast subvertendo traditionem tam insignem nunc quid stabilietur illa?

** Alii duumviri in *Philosophia insignes Lockius von den Kräften des menschlichen Verstandes* 4. B. t. 16. §. 10. & *Bæhmius Log. P. 2. c. 4. §. 3. n. 3.* longe aliud propositum habent. Contendunt videlicet illi, fidem semper *imminui*, dum per plures traditio propagatur: & hinc, quæ a locis diffisis ad nos perveniunt, vel ante diuturnum tempus evenerunt, orali traditione conservata, fidem vix ullam mereri. Verum, qui adcurate perspexerit requisita ad genuinam traditionem hactenus tradita; quid respondeat duumviris istis, jam habebit: si enim caput hujus traditionis omnes testis boni dotes habuerit; si per testes ejusdem qualitatis propagata traditio fuerit; si factum fuerit solenne & publicum, ne mo fanus inveniet, quid traditioni ejusmodi opponat auctoritas enim non tabescit senio, nec semel vere facta unquam non facta dici poterunt. Si vero auctores hi de testimonio mendace, aut obscura primitus privati cuiusdam suspecti fide loquantur; & nos consentiemus.

*** Quid

*** Quid de traditione divina sentiendum sit, theologici proprie fori est. Ast Philosophorum nullus negare poterit, eandem omnino, summam scilicet fidem tribuendam esse traditioni *vere* divinæ, quæ ipfi revelationi literis consignatae debetur. Aut num scripto confirmari verba æternæ veritatis debent? De traditionibus *p̄is non divinis* quid statuendum sit vide in *Isagoge in Histor. Eccles. N.* T. a viro in arte critica versatissimo, Joann. Jungio, mibz s̄im in *Philosoph.* nunc vero *Hist. Eccl. Profess.* plurimum Venerando, Celeber. anno 1776 edita, anno priori recusa C. 2. A. 2.

**** Si in fama testis oculatus detegatur; fama esse definit, & juxta leges testimonii oculati testis examinanda est: Nisi vero detegatur ejusmodi testis; non tamen semper fama omnis rejcienda est, sed consideranda prius 1.) objectum famæ. 2.) Circumstantia antecedentes, præsentes & earundem cum objecto famæ connexio. 3.) consequentia durante fama, si quæ sint: & hæc si sint solius objecti, quod fama ferebat, necessaria confessaria; fama sic certa. Si vero talia non sint, sed tamen sequelæ ejusmodi, ut ex illo, quod fama ferebat, facile consequi potuerint, eritur probabile pro veritate famæ argumentum. E. g. Oritur belli tempore fama referens: hostilem exercitum esse cæsum: constabat ante, utrumque exercitum ita castra metatum fuisse, ut neuter sine alicuius detrimenti periculocedere posuerit: fama durante pars hostilium copiarum, quæ arcem quamdam obsidebat, subito obſidionem solvit, iterque adgreditur versus illam plagam, versus quam fama fert, cæsi exercitus reliquias recessisse. In his circumstantiis, qui famæ crederet, an crederet temere; licet solutæ obſidionis aliæ potuerint esse causæ, quarum tamen jam nulla verisimilis occurrit.



§. 109. *Canones de libris genuinis & supposititiis
hi adferuntur*

a.) Si liber quidam a veteribus scriptoribus, iisque
æqualibus alteri cuidam tribuatur, ac a recentioribus;
pro supposititio habendus est: nisi constet, veterem
errorem ope recentioris critices esse sublatum.

* Sic disceptatum diu fuit, an *Gerson Cancellarius*
Parisiensis, an vero *Gerson S. Stephani Vercellensis* Bene-
dictinus Abbas, an vero *Thomæ a Kampis* tribuendus sit
libellus de imitatione Christi. Recentior Critica ultimo ad-
scribit. Videatur editio recentior *viri Eruditissimi Francisci*
Desbillons. Sic *Vitis excellentium Imperatorum* olim præfixus
erat auctor *Æmilius Probus Librarius* tempore *Theodosii*
Imperatoris; ast detectum postea fuit, hominem istum ex
nimio fastu sibi librum tribuisse, cuius tantum descriptor
erat, verumque auctorem esse *Cornelium Nepotem*.

b.) Non habeatur pro genuino auctoris cuiusdam
fætu liber, cuius æquales, ejusdem auctoris vitam &
res gestas conscribentes nullam mentionem faciunt; si
illius sciendi copiam iis fuisse compertum sit.

c.) Quum facta, errores, consuetudines, senten-
tiæ, controversiæ &c. in libro quodam adducuntur
auctoris, cui adscribitur, ætate inferiores; liber ejus-
modi aut omnino supposititus, aut recensita interpo-
lata saltim judicanda sunt.


* Sic *Dalham l. c. §. 253.* Galenum adserit ostendere,
quod pars aliqua libri de natura hominis non sit Hypocra-
tis;

nis; eo quod febrem continuam vocet ibi συνοχεῖον, & urinas ἐργατὰ, quæ vocabula Hypocrate posteriora sunt: Sic pariter I. c. rejicit *commentarium latinum in Jobum e græco translatum & Origeni adscriptum*; quia sequentia ibi habentur: *Ita consummatus est beatus atque gloriosus Lucianus lucidus vita, lucidus & fide, lucidus etiam tolerantiae summatione;* ob hoc enim *Lucianus cognominatus est, tanquam lucidus, aut proprio fīhi lumine fulgens, aut aliis lucens.* Quis hic non videt latinæ originis vestigia? sic rejicitur *Donatio Constantini M. Sylvestro facta;* quia titulus Imperatoris hujus modesti ridiculus; *denominationes Pontificis huic Imperatori non familiares.* & *estate illius posteriores;* *voces & insignia isto tempore neandum cognita &c. insunt.* Sic finis Deuteronomii non potest esse Moysis, sed Esdræ aut alius forte opus, quum ibi mors Moysis referatur. *Dalham. I. c. §. 255.* sic etiam idem I. c. §. 256 *symbolum S. Athanasio adscriptum non illius, sed Vigilii Tapensis seculo XV in Africa viventis, esse adserit;* quia hæreses priore posteriores, scilicet Eutychianorum & Monothelitarum in illo confutantur.

d.) Si liber a confueto auctoris stylo abludat; jam dubio locus est; nisi aliunde ratio adpareat mutatio-
nis istius.

e.) Si contineat sententias, fabulas, aut alias ineptias, quæ plane auctoris, cuius liber esse fertur, sententiis & doctrinæ cognitæ adversantur; aut liber totus, aut partes saltim illæ supposititiæ sunt.

* Sic rejiciuntur *Vitæ Patrum S. Hieronymo alias tributæ,* in quibus ridicula de avibus colloquentibus, Myr-



midonum regione, Lucifero adligato, Seraphino ad paradi portas igneo gladio excubante narrantur. Aliter res se habet in Libris *Origenis* post illius a sacris Catholicis confessum: aliter in libris *retractionum S. Augustini*, ubi ad perte, in quibus aliter sentiat, profitetur. Cauta præferim incedendum ex hoc canone, si auctor aliunde *scepticus* notatus sit.

§. 110. Audivimus §. præcedente in libros etiam non suppositios, sed genuinos auctorum, quibus inscribuntur, fœtus menda non raro irrepisse: juvabit ego etiam paucis indicare tyronibus, unde sphalmata illa orta fuerint.

a.) Ipsa non raro vetustas codicibus menda & lacunas induxit; præsertim si diu tempestatum inclemetia expositi, aut in loco humido adservati fuerint.

* Sic *Aristotelis & Theophrasti libri a Neeli hæredibus* sub terra defossi diu latuerunt; usque dum, Apellicone Tejo emptore, ab humore & blattis vitiati in lucem extrahebantur.

b.) Ex historia literaria scimus, librorum describendorum negotium olim Monachos potissimum occupasse; constat pariter, juvenibus, quum seniores plerique occupationibus domesticis detinerentur, illam librorum describendorum fuisse demandatam: Inscitia horum subinde, aut ignavia plures irrepere errores.

* Testis hujus veritatis est *Herimanus de Restaurac. S. Martini Sornacenfis c. 79.* Hinc etiam cautum est in capitu-

capitulo Aquisgranensi anno 789. Ut, si opus esset, Evangelium, aut Psalterium, aut Missale scribere, perfectæ etatis homines scriberent cum diligentia. His tamen non obstantibus gratias debet Orbis literatus universus Monachis fine illorum opera codices præstantissimi interiissent.

* Menda isthac a librariis inducta sunt; 1.) quorum ex dictatis sribentes, voces adfines & consimiles male intelligendo, invicem permutarunt. 2.) Glossemata in margine adscripta ipsi textui intruserunt, textu saepius genuino omisso. Vitium hoc non aliter, nisi comparando scripta ejusmodi cum exemplaribus antiquioribus, detegi potest. 3.) Interpunctiones serius inventas inepte interposuerunt. 4.) Orthographiæ ignari, aut inscita novaturiendi lubidine abrepti sphalmata plura intulerunt. 5.) Plura etiam menda intulit ignorantia modorum, quies veteres scripturæ suæ compendium faciebant. 6.) Impostorum fraudibus & criticorum ineptorum argutiis non exigua mercis spuriæ pars adscribenda est.

§. III. Ex Causis ante adlati facile repeti ratio potest, quare librorum multorum tot extent lectiones variantes. Ad dijudicandas a spuriis genuinas cautela opus est in canonibus sequentibus contenta.

a.) Inter lectiones variantes ex præferri debent, quæ fonti propiores. Sicut enim traditio facile crescit eundo, aut minuitur; sic etiam, quo longius recesseris ab ætate scriptoris; eo reperies etiam scripte illius vitiosiora, vicissitudines descriptorum plures experta.

K 4

b.) Lectio



b.) Lectio varians pluribus & melioris notæ condicibus consona præfertur alteri.

c.) Lectio auctorum sententiis alias cognitis conformior præ alia acceptanda; nemo enim repente & sine ratione suam mutasse mentem censemtur.

A R T I C U L U S II.

De arte interpretandi seu Hermeneutica.

§. 112.

In omni scientiarum classe cognitio nostra ex aliorum libris ex- & intensive perfici potest. Multum igitur refert, eos probe intelligere. *Scientia verum libri cuiusdam sensum cognoscendi, hermeneutica* (die Auslegungs Wissenschaft.) & ipsas interpretandi regulas ad praxin deducendi facilitas, *ars hermeneutia* (die Auslegungskunst) dicitur. Qui sensum igitur auctoris & illius libris genuinum cognoscit, eumque proponit, *interpretus* (ein Ausleger) est. Et ipsa sensus cogniti positio, *interpretatio* (Auslegung) appellatur.

Scholion. Generalissima quidem definitione ars interpretandi etiam dicitur, ars cognoscendi signata ex signis; ut sic etiam includatur ars characteres reales, seu tales, quæ immediate res ipsas & conceptus aliquoquin etiam vocabulis indicandos significant. Solenne illud scriptura genus erat antiquis Ægyptiis in suis hieroglyphis (Bilderschrift) quæ vel exhibuerunt res ipsas, quas significaturi erant,

sculp-

sculptas, & proprie loquentes: vel symbola duntaxat rerum significandarum referebant, & tropici: subinde etiam, si symbola fuere abstrusiora, enigmatici audiebant. Ex sacerdotali ordine delecti erant, quibus explicatio illorum incumbebat. *Vid. Brucker. T. I. p. 259. 266. & 271. Paul Ernest. Jablonski in Panth. Ægypt.*

§. 113. Interpretatio ab ipso auctore facta authentica (Selbsterklärung) facta juxta communem verborum usum, usualis (gemeine) facta denique ex regulis hermeneutices, doctrinalis (eine gelehrte) appellatur.

§. 114. Propositio quævis explicanda dicitur *textus*, & ea, quæ cum hac aut mediate, aut immediate connexa est, *contextus* vocatur: *sive antecedat*, *sive subsequatur* ipsam propositionem explicandam.

§. 115. Sensus propositionis cuiusdam potest esse multiplex. *Proprius* (eigentlicher) est, quem vocabula in originario suo significatu accepta fistunt: *Improprius*, *tropicus* (uneigentlicher) quem vocabula in alieno ab originario significatu accepta fistunt; e. g. illud Horatii de republica: *o navis referent in mare te novi fluctus* &c. L. I. od. 14. *Immediatus*, qui ex solis vocabulis cognosci potest: *Medius*, qui cum immediato similitudine quadam, ad finitatem, aut alio quovis modo conexus est: *Literalis* (buchstäßliche) qui per ipsa vocabula *sive mediate*, *sive immediate* significatur: *Mysti-*



eus (verbogene, geheime) qui ex literali tanquam simile
 ex simili, ad fine ex ad fini, figuratum ex figura, evo-
 lutum ex involvente &c. eruitur: *Possibilis*, qui neque
 fini auctoris, neque modo tractandi contradicit: *Inten-
 tus*, quem suis subesse verbis auctor voluit: *Iunatus*
 (in der Rede gegründeter Verstand) qui ab auctore ipso
 intenditur, & per finem auctoris, ac orationem ipsam
 determinatur: *Illatus* (in die Rede übertragenet Ver-
 stand) quem nec auctor intendit, nec ipso orationis
 filo, sine que consequitur: *Hermeneutice verus*, qui ab
 auctore intenditur, & secundum hermeneutices regulas
 cognoscitur. Hic tamen in se, & relate ad objectum
 suum falsus esse potest. *Absurdus* (ein ungereimter)
 qui cuidam propositioni contradicit: *absolute absurdus*:
 (ein unbeschränkt ungereimter Sinn) si propositioni de
 se certæ, aut evidenti contradicit: *relative absurdus*
 (ungereimt im Bezug) qui propositioni alias ab auctore
 adsumptæ contradicit, sive dein ista adperte ab auctore
 posita fuerit; sive cum ejus systemate intime cohæreat,
Adconmodatus denique (ein anspielender) est sensus lite-
 rali similis, quem tamen auctoris sensum esse, dubium
 ac improbabile est.

§. 116. Canones librorum aut scriptorum ex-
 plicandorum novimus hos:

a.) Scrip-

a.) Scriptum quoddam interpretaturus non suam, sed scribentis mentem explicaturus est: *vocabula ergo ram singula*, quam omnia sumenda sunt in sensu ab auctore intento.

* Alia scilicet quaestio est, quid vocabula ipsa in se significant, alia quid auctor per illa intellectum velit. Op-tandum quidem foret, ut scriptorum quilibet, recepto lo-quendi usui se adcommodaret; ast agre id obtinebimus vel in ipso regno philosophico, quamdiu ea, quae plurium animos insederunt penitus, adversus avii medii, aut tem-poris nostri Philosophiam præjudicia deposita necdum fuerint. Et quando erant? Judicandus igitur auctor erit se-cundum ea, quae aut familiaria ipsi, aut specialia esse, aliunde constat; aut quae definitionibus prius datis ad cer-tum fixit significatum: in reliquis interpretatio juxta com-munem loquendi usum instituatur.

b. Mens seu intentio auctoris subinde ex ipsa, qua vixit ætate: ex sesta, cui addictus erat: ex rerum ad-junctis, in quibus positus erat, dum scripsit: ex fine, quem scribendo intendebat, innotescere debet: *Inter-pretes igitur ætatem, sestam, adjuncta, finem scribentis sibi perspecta habeant.*

* Sic ætate prisca: *Tyrannus*, *Barbarus*, *Sophista*, aliud ac nostra indicant: sic *Sacramentum* aliud *Theologis*, aliis *Jureconsultis*: *Praejudicium* aliud *oratoribus & Juris-peritis*, aliud *Philosophis* significat. Aliis encomiis celebre-bit historiam cuiusdam *Principis Scriptor monasticus*: aliis *politicus*: aliis *militaris*, &c. Nec itineraria conspirabunt



a botanico, antiquario, physico, mercatore de iisdem regionibus conscripta; licet iter una instituerint.

c.) Si hisce observatis nihilominus sensus auctoris obscurus aut dubius maneat; loca in eodem auctore parallelæ circumspiciat, textui contextum conferat; & num ex illo quidpiam eruere possit, discernat. Si verba eadem, aut expressiones easdem in certo quodam significatu deprehenderit: eundem illis in loco dubio tribuat; nisi hic ipse significatus aliis auctoris sententiis repugnet. Nemo enim sibi contradicere præsumitur. Si plures vocabulum significatus habeat; tribuat eum, qui maxime conveniens cum fine auctoris esse videtur.

* Adposite hic Dalham l. c. §. 925 monet: *accelendum est se animo vacuo & docili, non autem stimulo carpendi, & inventiendi errores. Animum malevolentia laborantem, res etiam indifferentes, & in medio postas vicia dicturum. Si alia est auctori, alia lectori cogitandi ratio, displicitura lectori esse omnia, etiamsi mentem lectoris supererent dignitate. Quibusdam dissimilitudinem cogitandi sufficiens esse argumentum contradicendi; sicut homo agrestis, in pulcherrimum hortum ingressus, omnia carperet, quod horrentis silvæ imaginem non referunt. Consultatur etiam ejusdem auctoris §. 929.*

d.) Iniqui duntaxat interpretis est, venari vocabula sententiarum perversæ ex auctorum ante motam de sententia illa controversiam scribentium scriptis. Nil minus enim cogitarunt illi, quam exituros, qui auctoritate sua tam male abuterentur.

* Hic

* Hic canon quam maxime in theologicis obseruandus est, sic *Godeschalculus* seculi noni monachus pro sua perversa de *Prædestinatione* sententia Patrum ne somniantium quidem hanc sententiam auctoritate graviter abusus est.

e.) Quum versio (Uebersezung) sit libri, orationis, aut propositionis in aliam linguam translatio; patet easdem regulas versori, quas interpreti esse observandas, & insuper requiri, ut linguam utramque, scilicet ex qua, & in quam sensum auctoris translaturus est, perfecte calleat.

f.) *Paraphrasis* (Umschreibung) est sententiæ cuiusdam uberior expositio; hæc si adductis rationibus corroboratur, & propositis exemplis illustratur, totumque volumen quoddam sic dilucidum reddit ac perspicuum, *commentarius* (vollständige Auslegung) dicitur: in utroque hoc interpretationis genere requisita superius adsignata adesse debere, ex ipsa definitione constat. Præter hæc autem Commentator non interpretis tantum, sed etiam auctoris vices subit.

ARTICULUS III

De auctoritate Diplomatū.

§. 117.

Diploma, si vocabulum species, a græco διπλωμα descendit, juxta etymon nominis igitur *bis plicatum* significat: sensu medio, nosteroque ævo conformis

for-



formulæ scriptæ juriū & obligationum, vel rerum in facto positarum, solemnibus verbis ac ritibus conceptæ diplomata vocantur.


* Solis olim Imperatoribus licuit uti veredariis publicis, & ab iis expressa subinde in scriptis facultas hæc aliis concedebatur. Facultas ipsa tractoria, scriptum vero diploma dicebatur: nec immerito; erant enim testimoniales ejusmodi scriptæ in tabulis complicatis, primum tenui ligno, post lino trajectis, demum etiam signatis. *Consul. Plutarchus in Augusto: Cicero L. 10. ad Atticum. epist. 19: Capitolinus in Pertinace: Seneca L. 1. de Clement. c. 10.* Postmodum vero vocabulum hoc Diploma ad edicta & mandata Principum transiit. *Vid. Cicero L. 6. famil. epist. 13. aliis 12. Plinius L. 10. ep. 46 & 47. Seneca L. 7. de beneficiis c. 10.*

§. 118. Diplomata dividuntur: a) relate ad formam externam in tabulas, quæ sunt monumenta saxis, metallis &c. inscripta: Codicillos, si ad modum libellorum confecta sunt: chartas, si nec monumentorum, nec libellorum formam præ se ferunt. Ratione eorum a quibus conferri solent, vel Ecclesiastica, vel Civilia, eaque pro rerum, de quibus feruntur varietate vel publica vel privata. Ad ecclesiastica pertinent Pontificum, Episcoporum, Capitulorum, Abbatum, Monasteriorum: Ad Civilia Imperatorum, Regum, Principum, Comitum, Equitum, liberarum Imperii civitatum, Collegiorum Diplomata. Publica sunt omnes tractatus, fædera pacis, declarationes; b) ad privata referuntur privilegia, decreta, edicta, sententiae,

tia, leges. c) Ratione rerum contentarum si spectes, vel facta continent; & acta: vel jura aut obligationes describunt, & documenta nominantur. Ratione originis denique sunt vel *autographa, originalia*, (Urschriften) vel *apographa exempla, copiae*. (Abschriften). Autographorum plura s^epius exemplaria confecta fuisse ex Galdasto T. 1. Scriptor. rer. Alemann. p. 7. Ademaro Cabanensi ad ann. 813. apud Labbeum Tom. 2. Bibl. MSC. de Conciliis a Carolo M. habitis abunde patet, quos uti & plures alios hujus rei testes allegatos reperies in Jo-
hann Friedrich Joachims Einleitung zur deutschen Diplomati^f 2 H. §. 13. Exemplaria ejusmodi sibi consona vocabantur *paricla, paricula*, a pari faciendo: *particula, indentata* a more istius etatis, quo chartae ejusmodi ita indentabantur, ut partis cuiuslibet dentes cavaturis alterius exacte respondere debuerint. Signum hoc erat non vitiati diplomatis. Apographa ipsa sunt *authentica seu vidimata*, quae per viros auctoritate publica constitutos, recognita, cum autographis comparata, siisque consona reperta sunt: reliqua, quibus haec defunt, *vaga incertaque* dicuntur.

a) Ecclesiastica etiam in *praestarias & precarias* dividebantur: per *praestariam* dabat Ecclesie Rector rem Ecclesie ad usum fructum sub anno censu, per *precariam* petitor se conditions omnes & annum censum rite expleturum spondebat.

b) Omit-



b) Omitti hoc loco non debent variae regalium diplomatum denominations. *Præcepta dictæ sunt ea patentes literæ, quibus pro futuro tempore aliquid observandum, dandum, possidendum &c. constituebatur. Indiculi, quæ pro tempore præsenti aliquid concessum, donatum, largitum &c. indicabant: Placita, regiæ fuerunt literæ, quibus rei controversæ judicium in frequenti procerum conventu latum ac definitum continebatur: Descriptiones fuere, in quibus prædia, ædes, libri ceteraque ecclesiastica supellex regio nomine recensebatur: Panchartæ, seu pantochartæ nuncupabantur, quibus Reges & Principes Ecclesiæ, vel Cœnobii iura & bona omnia & singula, horumque possessionem confirmabant, maxime tum, quando autographa instrumenta erant amissa, vel ætatis vitio depravata.*

c) Diplomata privata spectari bifariam possunt, aut enim spectant res privatorum privilegia videlicet, edicta, sententias, leges a summis Imperantibus in eorum favorem latae, aut concernunt acta inter privatos mutua: posteriora vocabulo sibi proprio chartæ Pagenses dicuntur, & privatorum negotia, emptiones, venditiones, donationes, commutationes, manumissiones, Chirographa (Handschriften) Syrapha, testamenta, Codicillos, & his similia pro objectis habent.

* Collectiones plurium apographorum Chartularia, Diplomataria, Instrumentalia volumina, Antiquaria, Registraria, Regesta, Transumpta, Bullaria, Libri copiales nominantur.

§. 119. Quamvis omnem, quam rebus cuiusdam momenti impendere oportet, diligentiam adhibuerint Veteres tum in condendis (a) tum conservandis (b) diplomaticis, ac pénis in illorum violatores statutis grā-

vissi.

vissimis; (c) non tamen efficere potuerunt, quominus nefaria habendi aut nocendi libido sanctissima isthac consilia irritare, ac diplomata genuina male refingere, adulterare, interpolare, aut omnino confingere adlaboraverit. (d) Juabit ergo, antequam, quid e genuinis diplomatis pro stabilienda rei veritate roboris peti possit, figamus, paucis indicare, quibus indicis valeant genuina a spuriis discerni.

a) Quam caute processerint veteres in condendis diplomaticis, abunde patet ex eo, quod plura illorum exemplaria, seu pariclas fieri curaverint. Ab aevo saltim Carolingico quatuor ut plurimum fuerunt, unum scilicet in gratiam illius, qui diploma rogaverat; alterum, ut servaretur in loco, ubi Princeps petitioni annuit; tertium ut extaret in urbe, vel castro, in quo scriptum, ac sigillo munitum fuit; quartum denique, quod in ipso Principis tabulario ad perpetuam rei actae memoriam reponeretur: non tamen semper tantum fuisse paricularum numerum patet ex Goldasti scriptor. Rerum Alemana. T. I. *Quum charta præscriptæ essent, unam Episcopo cum suis, aliquam Abbatii, monachisque contradidit, perpetue firmitatis sine aliqua eversione ita retinendas indicio.*

b) Studium conservandi hæcce diplomata ex materia illorum, de qua inferioris plura, ex locis ipsis, in quibus adservata fuere, ac denique ex restituzione aut iterata approbatione publica, satis patefecit. Constat etenim tabularia & scrienia, seu archiva illis custodiendis aptissima studiosissime fuisse confecta. Sic de tabulario Regis Artaxerxis L. I. *Eidræ c. 4. de Archivo Heracleenium Cicer. pro Ara*

chia, mentionem faciunt. *Vid. etiam Codex de fide instru-*
ment. L. 2. §. 21 ff. *de orig. Jur.* L. 18. §. 10. ff. *de mu-*
nierib. & honorib. Speciatim de Archivo Romano consul.
Ep. 52. *S. Hieronymi ad Pamphilum.* Ep. 43. *S. Augusti ad*
Glorium. Papa Deusdedit. Cap. 1. Q. 1. C. 30. Germani princi-

pe contenderunt, ut qui in regno, principatu, vel no-
bili familia succellere, antecedentium largitiones, volun-
tates ac famulas renovarent, amplissimeque confirmarent.
In ejusmodi confirmationibus subinde moris erat, ut pra-
vio quodam ingressu, ac testificatione de visis ejusmodi
diplomatibus, integraque repertis, tenor illorum ipse sub-
jungeretur, ac deinceps ex finitio ipsa succederet solennis
confirmatio: aliquando vero tantum generatim sine adposi-
to priorum tenore diplomata confirmabantur. *Vid. Otto-*
nis II. Imp. dipl. de anno 974. quo sedi Moguntinae omnia
ab antecessoribus suis concessa privilegia generatim confirmat,
apud de Gudenus Cod. Dipl. p. 7. item apud eundem p. 68.
Dipl. Adelberti Archiep. Mog. quo ratibabet recensendo in
pecie donationes monasterio Disibodenberg futias.


c) In ipsis Diplomatibus prater maledicta pena sepius
gravissima a viris Principibus intentantur vitiatoribus; com-
munis erat ea a veteribus Romanis innovata, qua vel pro-
scriptione bonorum, vel pollicis, aut manus diminutione,
vel omnino mortis suppicio puniti fuerunt. De falsariis
literarum Apostolicarum ex jure Can. fatis constat.

d) Tres potissimum falsorum diplomatum species adsig-
nant autores: *Refecta*, qua absque legitima auctoritate in
locum amissorum substituta: *Adulterata*, quibus ab impo-
itore aliquid additum est, quod a mente concedentis alienum;
vel etiam aliquid omissum est, ex cuius omissione
jus alterius luditur: *Falsa* qua nullo veri authentici fun-
samen

damento niti e claris signis deprehenduntur. Confer. celeberrimum Cap. inter dictos Dilectos 6. de fide instrumentorum. Discriumen ingens inter falsa & interpolata diplomata est: *falsa* valorem omnino nullum habent, nec ullam merentur excusationem; *interpolata* vero tantum secundum partem illam, secundum quam vitiata sunt, auctoritate destituantur. Interpolatio ejusmodi facta fuit, aut addendo aliquid, sic tabularii chartulariorum subinde annis Imperatorum addidere annum *indictionis*, *incarnationis*: aut *permutando*, sic pro antiquo, *fevum*, quod nobis *feudum* significat, non raro substituebant *feodum*: aut *omittendo*, aut male *ponendo* vocabulum quoddam ob difficultem in autographo lectionem. Haec spalmata suspectum quidem reddere possunt diploma, sed, nisi error substantialis latuerit, non prorsus inutile faciunt.

§. 120. Ut certius diplomata genuina a spuriis dijudicare valeamus; ipsa genuinorum criteria praesgere juvat: dispescuntur autem illa in *ex-* & *interna*. Ad externa referuntur, 1.) *Materia*. 2.) *Grammatologia*. 3.) *Stigmeologia*. 4.) *Brachygraphia*. 5.) *Mognogrammatologia*. 6.) *Sphragistica*. De singulis paragaphis sequentibus breviter agemus.

§. 121. Ac primo quidem *Materia* bifariam spectari potest, illa scilicet, *in qua*, & illa, *qua* scripta fuere diplomata. *Materia*, in qua scribere solebant veteres sua diplomata, pro varia aetate varia fuit: Omnia naturae regna subministrabant idoneam: sic ex minerali



lapides & metalla: ex vegetabili plantæ, arbores, unde tabulæ ligneæ, de quibus supra, Papyrus Aegyptiacæ ex herba quadam Nilotica confecta, charta ex arborum foliis ac cortice, linteæ denique in usum venit: ex animali, coria piscium, serpentum exuvia, elephantorū viscera ac dentes, pelles variorum pecudum illorum membris detractæ, & ideo membranæ dictæ.

a) Quam solenne fuerit Græcis præfertim ac Romanis res illustriores, facta lapidibus publicis incidere aut metallo, quam etiam ætate nostra frequens sit, ut nummi auctoritate etiam publica propterea cudentur, extra omnem controversiam est, Et splendidissima quæ Mannhemii sunt, antiquitatis & nomenisatum Musea palam faciunt scrutatori eruditio.


b) Chartam ægyptiacam sic describit Mannhart Bibliothec. dom. T. 4. c. 2. §. 8. Materiem subministrat caulis arboreculæ, papyrus græcis dictæ, quæ in Aegypti præcipue pastibris nascitur. Ejus folia in modum viminis longa extenduntur, quibus in transversum imposta, obductaque sunt alia ejusmodi fructicis folia velut opere textorio, que glutine quodam oblita, ac ita demum levigata scriptioni serviunt. Vidi. etiam Aëta literar. ex MSC. eruta cura Burc. Gotthelf. Struv. Fax. Uſus hujus chartæ est antiquissimus, ut videre est apud Mannhart l. c. non tamen antiquior membranis: nec ultra seculum nonum teste Mabillonio L. i. c. 8. perduravit. Ne vero hæc charta oppido subtilis & tenera vitium a vetustate pateretur, singulis vel pluribus foliis membranas interjecerunt, ut tam facile deteri nequirent; hacque industria factum, ait Mannhart, ut e papyro ista codices

codices etiamnum in celebrioribus bibliothecis, ipsaque Vindobonensi superstites reperiantur.

c) Etiam chartæ genus philyra fuit, seu membrana tenuissima inter corticem & lignum tiliæ arboris, præparabantur teste Plinio L. 13. ex ea chartæ acu divise in prætenues, sed quam latissimas philyras. Magnum volumen ex hoc cortice confectum, quod Chartam securitatis regiae dicunt, se in Cesarea Vindobonensi Bibliotheca vidisse, adserit Mannhart l. c.

d) Quo tempore charta nostra inventa fuerit, dubitatur Bernard. de Montfaucon in sua Palæographia græca illam ad seculum nonum referit; contradicit autem de Ludwig in den gelehrten Anzeigen T. 2. Et. 55 & 56. Mabillonius tamen ex Petri Mauriti Abbottis Cluniacensis vulgo Petrus Venerabilis dicti tractatu contra Iudaos evincit, chartam hanc jam seculo XI. vel XII. quo scilicet posteriore vixit ille Petrus, notam fuisse; in dicto enim tractatu adserit, libros suo tempore ledos fuisse ex resuris veterum pannorum confectos. Diplomata tamen auctoritate publica confessa perraro chartæ communi inscribantur: Joachim l. c. IV. H. 6. 2. talia a temporibus Caroli IV. in Archivo Pragensi & Magdeburgensi reperi adserit. Certum ex eo, quod Titus Livius L. 4. c. 7. 13. & 20. mentionem de libris linteis, in quibus Imperii Romani facta consignata fuere, mentionem facit, nihil pro existentia chartæ nostræ evincitur: e pannis quidem lineis, ast non tritis & ut nunc coagulatis, sed integris & glutione quodam firmatis conficiebantur.

e) E Piscium etiam & non ovium duntaxat corio membranas olim confectas fuisse, confirmant Homeri draconis intestino CXX. pedes longo inscripta, & olim in bibliotheca constantinopolitana adservata. In piscium pariter




pellibus Hugo & Lotharius Galliae Reges diplomata aureis inscribi literis fecerunt. Antiquissimum vero usum fuisse chartæ pergamenæ patet ex Græcorum proverbio, quo rem vetustissimam denominatur illam *diphtera*, i. e. membrana, antiquiorem dixerunt: ex testimonio Josephi pariter id liquet, testantis, membranaceos antiquissimos libros ab Eleazarō Judæorum Pontifice ad Ptolomæum Philadelphum Regem fuisse missos. Nec obstat locus Plinii L. 13, c. 11. adserentis, Pergami ab Eumene Rege inventas esse membranas, supprimente chartas, sive papyrus Ptolomæo. Hoc enim ita intelligi potest, quod Eumenes primus fuerit, qui in Pergamenium urbe magnum illarum copiam fieri curaverit. Quod formam membranarum adtinet, illa varia priscis fuerat, nunc in latitudinem magis, nunc in longitudinem magis protensa.

f) Materia, qua scribere diplomata V. V. solebant, liquor fuit, *niger*, *cæruleus*, *ruber*, *flavus*, *viridis*, *aureus*, characteres præfertim initiales mira varietate & elegantia distinguere noverant: uti passim in Bibliothecis rarioribus videre est. Utī *sacro Encausto*, liquore videlicet purpureo, quo sua subscribere nomina Imperatores constantinopolitanū consueverunt, sub pœna capitis cautum fuerat. De vario atramentorum genere consule *Chronic.* *Gottwicens.* *Stryck.* de *cera rubra* & *sacro encausto.* *Struv.* *collectan.* *MSC.* *Caneper.* de atramentis & vitriolis.

§. 122. Ad Grammatologiam accendentibus facile est observatu; eisdem characteres, ac linguas ipsas vi-
cissitudinibus fuisse obnoxias. Nos missis de literarum inventione ac diffusione Græcorum fabulis ipsam, quæ in diplomatis saepius occurrit, scribendi methodum examinabimus. Ab initio literæ in iis latinæ obtinuerunt;

runt; quando Germanice invaluerint, inter eruditos non convenit, aliis Fridericum II, aliis Rudolphum I. auctorem adsignantibus: at sub fine seculi XIII. Diplomata Germanicis scripta literis fuisse constat *ex de Gudeus Syllog. varior. diplom. Lebmann. Chron. Spir. L. 5. c. 108. ex literis Abbatis Gotovicens. a Beyfblagio in collectione epistol. de Epochâ lingue Germ. in constitut. Imperii publ. consul. etiam Joachims Einleitung*
§. 7. 8. 9.

§. 123. Varia etiam utriusque linguae charactera pro varia aetate figura fuit; nec semper eadem diplomaticis conscribendis, ac vulgari usui insevit. Romanorum antiquorum scriptura usque ad seculum V. isdem fere literis (si paucas exceperis) ac nostra latina constituit. Si magnitudinem spectaveris; triplex scripturæ veteris in eadem fere figura dignosces. Unciales literæ ab uncia pedis parte duodecima, cuius magnitudinem referebant, nominatae, ad veterum monumentorum inscriptiones adhibebantur: Cubitales a Plauto dictæ, seu, ut hodie nominamus, trabales, aut sesquipedales ob ingentem magnitudinem librorum titulos, ac materiarum pertractandarum initia exornabant; semiunciales majusculæ videlicet, ac inter unciales & minutissimas mediae ad codices præstantiores serviebant: Mi-



mutissimis denique seu rotundis, non quod in sphæra
morem obvolverentur, sed quod ob scribendi celerita-
tem quasi in globos curvarentur, ad scriptionem fami-
liarem utebantur.

II. Fœda Gothorum in terras Italicas invasio non
in ædificia duntaxat, lapidesque ac homines, sed in
ipsas adeo literas sœviit, tollendo alias, alias e suo alpha-
beto ab Ulphila Gothorum Episcopo invento substituen-
do, Litteræ hæ *Gothicæ*, *Toleranæ* postea dicta sunt, eoquod
in Hispania primum usui esse ceperunt. E triplici po-
tissimum classe alphabetum Gothicum coauit B. G. K.
A. M. N. T. X. græcæ: G. H. I. S. Y. Z. latinæ; reli-
quæ vero peregrinæ sunt originis. In Hispania præser-
tim ad seculum XII. perduravit hocce scripturæ genus.

III. Gothis regno Gallico exutis successere Lon-
gobardi, suamque secum scripturam invexerunt, chara-
ctere partim Romano, partim Gothicō gaudentem. In
hac scriptura ceptum est, separari vocabula, claudique
punctis sententias: dumque prior in Hispania, hæc in
Italia dominatum exercuit.

IV. Imperio ad Francos delato & eorum scripture in
diplomatibus adhibita fuit. Pro varietate autem Stirpium
imperantium varia quoque fuit; inde in Merovingicam,

Caro.


Carolingicam, & Capetingicam dividenda: ad finis quælibet Romanæ fuit.

V. Fidei lumen ab Anglo-Saxonibus & cum eo scriptura in Germaniam aliasque provincias illata fuit. Literæ scripturæ hujas minutæ admodum, contortæ, ac inter se implexæ fuerant.

VI. Germanica scriptura primis temporibus, uti lingua variavit, quartum vicissitudinum potissimum coram exponam. Barbariem primigeniam abstergere Carolus M. voluit; ast conatus illius infirmiores erant, & Caroli V. ætas prima fuit, quæ confessos videret.

* Alphabeta harum scripturarum eleganter æri incisa per 17. tabellas exhibet eruditiss. Mannhart, quibus interim ad prælectiones meas utar, usque dum se occasio obtulerit, & exemplaria illorum ad usum auditorum conficiendi.

** Alia longe in veterum diplomatis Orthographia, ac nostra ætate in usu est, reperitur. Pauca e plurimis exempla adnotare juvat; plura coram explicatio, reliqua exercitatio, industria dabit. A sæpius sine virgula media transversa sic scribitur: A; non raro etiam superius incumbit virgula Æ; & subinde cum O permutatur. Æ, sicut ceteræ Diphongi, separatim scribebatur, aut per simplex, e, aut e virgulatum indicabatur. B in antiquis codicibus P positum reperitur, ut: Brætor, C non raro vices Q, G, et T supplet, e. g. Cottidie, Evangelium, oratio, F loco Ph adhibetur, ut: Filippus. H mox rejecta



in vocabulis ab initio aspiratis, mox posita superflue præfertim ante liquefcentes L et R videtur, e. l. *ypcrisis*, *Hludovicus*, *Habundabit*. K frequentissime in locum C substituitur, sic *Karthago*, *Kalendæ*, *Kalitnia* leges. O adposita U eodem, ut hodiecum apud Gallos modo pronuntiabantur, ut: *Ondalricus*: subinde etiam pro O ponebant U nudum, ut *Cœnubium*; in medio sæpius U ante O positum cernes, e. g. *Chonradus*. Literam I a seculo XII notari accentu ceptum fuit, qui seculo dein XV in punctum transiit. A seculo IX syllaba et uno ductu, etiam in mediis vocabulis scriebatur, ut: *reddere* & *Egiam*: seculo XII, binis reddebat literis, vel hoc modo $\ddot{\text{T}}$ abbreviate ponebatur: sub finem tandem seculi XIV ET prius reductum fuit. *Conful. Mabillon.* I. i. sub finem: *Scioppius de arte critica Mannhart* I. c. c. 2. §. 3. *Joachim*, I. c. §. 18. *Struv.* I. c. §. 17.

§. 124. *Stigmeologiam*, seu artem interpungendi veteribus non omnino incognitam fuisse patet ex Aristotele, Cicerone, Iustiniano, (a) ast non eadem illa fuit, quae nostra aetate passim adhibetur. Ab initio enim post finitam sententiam quamlibet à linea exordiebantur: hanc sententias a se distinguendi rationem Græci στιχος, Latini versus, ab aratro vertendo, vocabant; inde factum etiam, ut Græci grande quoddam volumen πολυστιχον βιβλιον, i. e. multorum versuum librum dicerent. Seculo demum post Christum natum secundo Aristophanes Byzantinus, Alexandrinus Grammaticus omnium primus ac-

ius

centus et distinguendi rationem excogitavit; sed ut Struvius l. c. observat, in usibus tantum privatorum et pro erudienda juventute hic notandi, distinguendique mos fuit. (b) Tres potissimum harum distinctionum erant: primam Grœci τελεῖαν στριγυνήν, Latini distinctionem dixerunt, eratque punctum in apice literæ ultimæ collocatum, e. g. ROBORATVR. alteram: υποστριγλήν, subdistinctionem vocarunt, eratque punctum ad imam literæ ultimæ partem positum, e. g. ROBORANTVR. . Tertia Grœcis μεσην, Latinis mediana punctum erat ad medium literæ ultimæ partem adiunctum, e. g. ROBORATVR. c) Frequentior distinctionum usus invaluit seculo VII, atque octavo demum commata comparent sed rariora: sub Carolo tandem M. ab Aleunio et Warnefrido plenior distinctionum usus introducebatur. Elegans est Alcuini ad suos discipulos propterea monitum:

Percola distinguant proprios, et commata versus,
Et punctus ponant ordine quosque suo.

Ceterum usque ad hanc ætatem rara est in diplomatis bus distinctio, et, si qua occurrat, tam inique posita est; ut prorsus per errorem calami excidisse videatur: commota primum in Henrici VI Imperatoris diplomatis reperiri testatur Joachim. l. c. §. 16.

a) Ali-



a) Aliquam interpungendi rationem veteribus cognitam fuisse testantur locus Aristotelis L. 3. Rhet. c. 5. Nam quae sunt literacitiae, interpungere operosum est; quia incertum est, utri adjiceat, posteriorine, an prioris, ut in principio ipsius libri. Inquit enim: Rationis hujus quae est semper imperiti homines sunt. Incertum enim est, illud SEMPER utri interpungans. Ciceronis de Orat. L. 3. Non librariorum nostris, sed verborum et sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus veteres esse voluerunt. Iustiniani de concept. et confirm. Digest. Veteres Jurisconsultorum libros ad trecenties millia versuum excurrisse. Senecae Ep. XL. Nos etiam, quum scribimus, interpungere solemus. Quin Suetonius in Augusto c. 87. tanquam singulare notat, quod verba non dividebat.

b) Grammaticorum, seu docentium potissimum opus fuisse interpungere sententias, docet Suetonius de Probo inter illustres Grammaticos n. 24. quum ait: multa exemplaria conseruata emendare, ac distinguere, et adnotare curavit. Iustus Lipsius cent. 3. ep. ad Huberum Audecantium de Nicanore Grammatico ex Suida, qui proptererea στρατικατ, i. e. interpunctus dicebatur, quod præter libros sex de interpunctione in genere, et unum de interpunctione apud Homerum et Callimachum scripsérat nihil.

c) de hac puncti variatione videatur laudata Lipsii epistola, in qua ex Diomede, et Isidoro prolixè dedit ea, quae supra diximus.

§. 125. Compendiariam scribendi rationem in diplomatis uti et codicibus veterum familiarem esse, noverint omnes antiquitatis scrutatores. Descriptores enim plerum-

plerumque celeritati studebant potius, ac elegantia: inde compendiarias excogitarunt notas, quaeis vocabula ipsa exprimerent. Qui hanc voces exprimendi artem novabant, notarii dicti sunt, uti patet ex S. Augustin. L. 2. de doct. christ. c. 26. dicentis: *Ex eo genere sunt etiam nota, quas, qui didicerunt, proprie jam NOTARII appellantur.* Adhibebatur genus hominum istorum ad sermones publice dictos celeriter excipiendo, ad testamenta resque alias moram non ferentes conficiendas; quare etiam publice tradebatur in scholis ars ista, uti refert Prudentius de S. Cassiano Martyre hymn. IX. canens:

Præfuerat studiis pueribus, et grege multo

Septus, Magister liberarum sederat,

Verba notis brevibus comprehendere multa peritus;

Raptimque punctis dicta præperibus sequi.

Hæc vero per notas scribendi ratio plerumque a Tironne Ciceronis Liberto inventa primum creditur, Isidoro, Plutarcho, et Eusebio huic sententiae suffragantibus; licet Diogenes Lærtius L. 2. de Vitis Philos. Xenophonti hunc honorem tribuere videatur. At successu temporis tantus artis hujuscce abusus invaluit, ut ænigmata fierent scripta publica, & ansam præberent diffidiis non raro summis: quaere Justinianus lege publica prohibendam statuit hanc scribendi rationem.

* Qua



* Qua forma effinxerint antiquitus has notas, pro certo adfirmare non ausim. Plutarchus enim in Catone *signas* vocat *in parvis et brevibus figuris*, multarum literarum vim *includentia*: Ausonius contra *puncta* adpellat: Aurelius Prudentius Peristeph. hymn. 9. semel *signa picta* dicit, quum canit, *agmen tenerum ac puerile gubernat, pictis notare verba signis induens*; et ut jam supra audivimus, *puncta* adpellavit, quam adellationem infra repetit. Forte cum Lipsio in epist. ad Leonard. Lessium sentire licet, partim fuisse *puncta*, partim *lineas, flexuras, ac catenationes variae*.

** His scripturae compendiis *siglorum* adpellatio adhæsit: an haec vero latinae prorsus sit originis, ac ut Tolosanus L. 16. de Republ. existimat, a sigillo derivetur, non determinaverim ego ob locum Iustiniani Cod. de utro Jur. encl. σημειοις ἐν τῇ γραφῇ απέρ στυγγατ καλεστ. i. e. Notis in scriptura, quas singulas appellant.

*** Longum omnino foret ejusmodi compendiorum catalogum texere: amplissimum suppeditavit Waltherus in Lexico diplomatico, et ejusmodi exhibent passim Lexica melioris nota. Videri etiam hunc in finem possunt scriptores in rem numariam.

§. 126. Solennis etiam in diplomatibus crucium usus fuerat, jam fronti pro invocatione praefixarum, jam ad marginem pro nota speciali adpositorum, jam subscriptionis loco ignorantibus literas usurpatarum. Sic apud du Chefn. T. III. script. hist. francic. de anno 874 occurrit diploma, cuius subscriptio talio est: *Signum manus Heribaldi Vicecomitis Palatiū, qui ibi fui, et propter ignorantiam literarum signum sanctae crucis feci.*

§. 127.


§. 127. Ad dignoscendam diplomatum antiquitatem multum juvat monogrammatum notitia: sunt autem monogrammata nomina in compendio scripta, & ex litteris ejusdem nominis inter se in formam crucis vel aliarum linearum inter se junctis concinata. Origo harum monogrammatum ab aliis ab adpartitione Constantini in Somnis habita, quam *Lucius Cecilius Laetanius Firmianus L. de mortibus persecutorum c. 44, n. 5.* parrat, alii rectius cum *Papebrocio in Propyl. antiquit.* Heineccio de sigillis a more christianorum, instrumenta sua publice cruce insignire solitorum repetunt. Varia illorum divisio a lineis fundamentalibus, a contentis, quantitate, perfectione, materia, et personae adponentis dignitate petitur. A Carolo magno ista solennius introducente ad Conradi III. obitum illorum usas necessarius: a Friderico I ad Caroli IV mortem arbitrius: a Wenceslao ad Fridericum IV nullus: Fridericus vero hic usum illorum renovare voluit; nemo autem praeter Maximilianum I ejus filium imitatus est eum, neque tamen in omnibus a se datis diplomatis: notat enim *Jacchim l. c. 5. v. §. 14.* sequentem subscribendi formulam & Maximiliano in usu fuisse: *Nos Maximilianus Romanorum Rex supra scripta recognoscimus per manum propriam.* Post Maximilianum prorsus exolevit monogrammatum usus.

Baudis



Baudis in Præparat. ad Analysis Monogramm. c. 1. §. 27.
causam cessationis in notarios monogrammata in
dies intricationra efficientes rejicit. Locus, in quo ad
notabantur monogrammata, post completum instrumen-
tum, isque fuit, qui alias subscriptioni, cuius nunc
illa vicem supplebant, inserviit; Lector subinde per
formulam præcedentem monebatur monogrammatis fu-
turi, quæ propterea *formula commemorationis* adpellab-
atur, subinde ad utrumque monogrammatis latus posita,
ab illoque intersecta indicabat, *indicativa* ideo, aut *for-*
mula indicationis dicta. Adposita jam ab ipsis Impera-
toribus, Regibus, &c; jam ab illorum notariis; præ-
sertim his relinquebant opus, si res minoris momenti
fuerat. Facile dignoscuntur diplomata, in quibus Imperans ipse adposuit monogramma; plerumque enim
illius per has aut alias formulas monemur: *Nostræ ma-*
nus signaculis chartam firmare decrevimus. Hanc chartam
connexis nostri nominis literis, subtus quodam Charactere
per obliquum ducto more nostro firmavimus. Chirographo
nostro stabilivimus. Propriæ manus cautione ratum dicen-
tes &c. In aliis contra hæc, similesve formulae haben-
tur: *muniri jussimus, subscribi jussimus, firmari præcep-*
mus, &c. Ante tempora Ottonis II nudæ fuere nomi-
num adpositiones; hic vero primus anno 973 nomini
suo titulum *Imperatoris Augusti* addidit, quem morem
secu-

Secutus etiam Henricus II fuit, & ante coronationem
Regis; post eam vero Imperatoris Augusti Romanorum
 titulo illustravit: Posteri & alia excogitarunt addita-
 menta e. g. *Dei gratia Rex Romanorum semper Augu-*
stus, quartus, quintus; non raro etiam regnorum ex-
 terorum adpositione dilatarunt. Regulas ex hac tenus
 dictis ad diploma genuinum a spurio discernendum tra-
 dit Joachim l. c. 3. 5. §. 16. Omnia diplomata a Ca-
 rolo M. usque ad Fridericum I monogrammate carere
 nequeunt. 2) Imperatores stirpis francicæ, Regesque
 Germanicæ usque ad Conradum I diplomata sua mono-
 grammata cruciformi, ceteri quadrato insigniebant:
 Vitiosa igitur sunt, in quibus contrarium observatur.
 3) Monogrammata ante Ottonem II titulis insignita
 dubiæ diplomata fidei faciunt. Ex hoc capite rejicit
 Abbas Gottvicensis in suo Chron. L. 2. diploma Lu-
 довico Pio pro monasterio Muratano adscriptum. 4)
 Monogrammata alio liquore scripta ac instrumentum
 ipsi diplomati non nocent. 5) Nullum monogramma
 contineat literas ad Imperatoris nomen, aut titulum
 non pertinentes. 6) Circa Pontificum diplomata hæc
 singularia sunt: ante Leonem IX nullus monogram-
 mate usus fuit: hic vero non crucis, sed circuli figu-
 ram elegit, cui nomen suum inscripsit, cum epigrapha
 geminas intra cruces expressa: *Bene valete*, quibus alii



Pontifices Petri & Pauli nomina quoque addiderunt, auctore, ut creditur Urbano II. Hinc diplomata aut notata monogrammate ante Leonem IX, aut cruciformi, quadratoe insignita falso Pontificibus tribuuntur.

§. 127. Ad externa diplomatum criteria referuntur denique sigilla, arisque illa dijudicandi, seu sphragistica: sunt autem ea signa certa ad majorem fidem diplomatibus adpressa, aut adpensa. Sigillorum usus apud omnes gentes, præcipue apud Francos & Germanos antiquissimus fait & sanctissimus, uti fusius ostendit Heinecc. de *sigill.* P. 1. c. 3. Quantus honos semper sigillis habitus fuerit, ex sequentibus liquet: 1) Primæ tantum dignitatis viris puta, Cancellariis, Referendariis, Comitibus Palatinis concredebantur; hue referendus etiam mos ex bulla aurea c. 27. §. 2. est, quo in convivio inaugurali Cæfareo sigillum Cælaeis majus Elector Moguntinus collo adpensum gerit, convivioque finito illud in genero equo ad Cancelarium reportatur. 2) Typarium sigilli casu deperditum revocatione publica sua auctoritate destituebant. 3) Ne fraudibus viam darent, typaria ejusmodi cum suis dominis sepeliebantur; testatur hoc annulus signatorius Regis Franconici Childerici in sepulchro ejus Tornaci (Tournay) repertus. In sigillis quatuor potissimum

puncta

puncta observanda veniunt. a) Materia, ex qua confecta sunt: b) Icones in illis expressæ: c) inscriptio-nes illa ambientes, aut inditæ illis: d) Modus ea diplo-matibus adnectendi:

§. 128. *Materia sigillorum duplex est, cera vide-licet, aut metallum: Cera metallo antiquior, & anti-quitatem ejus color partim, partim siccitas evincunt.* In Merovingicorum & Carolingicorum sigillis cera re-peritur alba, qui color diu Imperatoribus, Principi-busque Ecclesiasticis & Laicis placuit, rubrum contra-ramantibus Græcis imperatoribus, quo & delectari sunt in suis Brevibus Pontifices: rubescente tamen etiam Franci subinde usi sunt. Quo autem potissimum tem-pore Germani Imperatores ceram adhibuerint rubram, valde ambiguum est. Heinricius ad sigilla Rudolfi I. & Adolphi ceræ rubræ impressa, & a se visa provoca-t. Lehmannus tale quoddam Friderico I. tribuit, quod vero eruditorum crisin non satis sustinet. Hoc saltim pro indubitato adfirmari potest, Sigismundum præ reliquis cera rubra usum fuisse, eandemque faculta-tem & aliis concessisse, de quo potissimum Mullerus in annal. Saxon. ad ann. 1423. consulendus. Ceræ vi-ridi typaria sua potissimum Reges Franciæ impresserunt, secutis postea eundem morem Principibus, Abbatibus,



& ipsis adeo civitatibus, usque dum ab Imperatoribus copiam naucti sunt, & rubram adhibendi. Vetusstissima sigilla ceræ rubræ impressa erunt Henrici illustris Marchionis Misniæ de anno 1285, Ottonis infans dicti, Ducis Brunsvicensis.

Ceruleam ad sua sigilla ceram Imperatores, aut Principes adhibuisse non constat; illius tamen usum concessere aliis. Sic Pincerna Tautenbergensis a Frederico V. D. Stockhamerus a Carolo V. privilegium istud obtinuit.

Sigilla *flava* & *lutea* seculo XII invaluerunt, usus illorum in Germania seculis duobus XIII proxime subsequentibus ad monasteria, & privatos adeo transiit; Principibus & Episcopis nihilominus suo mori insistentibus.

Cera nigra in Gallia jam anno 1274 cognita fuit; senior illius usus in Germania cepit, & vel maxime a Magno Ordinis Teuton. in Prussia, & Melitenium Equitum Magistro adhibitam fuisse constat.

Cera ex diverso colore mixta seculo saltim XIV in usu fuit. Quatuor potissimum illius genera fuerunt. *Primum* a tergo contrasigillum habet diversi coloris;

Secun-

Secundum sculpturam quidem rubræ aut viridi ceræ impressam habet, sed cereæ quasi lanculæ albi, aut flavi coloris infusa cernuntur: Tertium sine limbo est, & ex una parte alium, alium ex altera colorem habet: quartum denique ex eadem parte diversa diversi coloris sigilla habet. Seculo XV mos invaluit capsulis ligneis, aut metallicis ceram sigillandam indendi, & XVI ceram charta tenui obtegendi ita, ut chartæ typarium imprimeretur: hæc sigilla etiam mixta vocari possunt.

* Ceteræ sigilla jam Aegyptiis familiaria: *fusinæ* etiam in literis Regum adhibita: *malthina* aut *masticata* etiam occurruunt, & tale de anno 1389 profecti Gatterer de Friderico Holzschuhero Ordinis Teuton. Equite. Cera Hispanica a mercatore Parisino *Ronsean* dicto non inventa quidem, ast modus, quem illius consciendæ in India orientali didicerat, Europæ cognitus siebat.

§. 129. Metalla sigillis adhiberi solita sunt *aurum*, *argentum*, *plumbum*, *æs*, *Stannum*: sigilla metallis impressa, *Bullæ* vocabantur (a).

Aurearum Bullarum usus ab Imperatoribus Byzantinis ad Francos translatus est; ac ante Carolum M. in occidente neminem aurea bullæ usum fuisse certum est. Constat vero quælibet aurea bullæ ex duabus lamellis auri concavis, quarum juncturæ circello quodam ferruminatæ continentur, ita quidem; ut spatium inter-



nius omne pice, cera, Gummi, aliave simili materia repletum deprehendatur: externa autem facies ad modum humorum utrimque signata sit. *Magnitudo* bullarum non ad personæ concedentis dignitatem sed accipientis conditionem mensurabatur: Immo si plura vnius diplomatis exemplaria conficiebantur autographa, variabant bullæ. Sic Caroli IV Bullæ exemplar Franco-fordiensibus datum, auro: datum Norimbergensibus cera munitum fuit. Non tamen promiscuus auri usus fuit. Signabantur auro 1) Decreta & constitutiones Principum majoris momenti. 2) Literæ ad alios. Principes ac Reges missæ. 3) Tabulæ pacis ac fœderum. 4) Literæ fundationum pro ecclesiis, aut academiis fatarum. 4) Erectiones Ducatum, & confirmations privilegiorum insignium. Quando in minoris momenti Diplomatibus signatura auri reperitur; id honoris causa factum est. Usi vero sunt bullis Imperatores Græci, Romano Germanici, Russici, Turcici, Reges Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Principes Apuliae, Lotharingiæ, Respublica Veneta, Pontifices adeo Romani in bullis Imperatorum confirmatorius &c.

Argenteæ bullæ raræ admodum sunt, & quæ præferuntur, non omnes crisim ferunt omnem.

Plumbeæ bullæ inter reliquas usitatissimæ, civilis & ecclesiasticæ dignitatis hominibus communes, originem

suam

suam ipsis Romanis Imperatoribus debent, inde ad Byzantinos, Germanicos, Reges, Principes, comites Dynastas, ac collegia utriusque fori delatae. Hodieum præter Romanos Pontifices paucissimos reperies, qui plumbo ad signandum utantur.

Æneis Bullis usos fuisse Daniæ Reges, Stanneum habuisse Fridericum I. Imperatorem constat.

a) Varios vocabulum bullæ significatus habet: Romanis aurum, aut argentum erat in modum ovi formatum, quod puerorum insigne dependebat eis a pectore, ut significaretur, eam ætatem ulterius regendam consilio. Sic etiam bullæ vocabant tegmina clavorum jannis infixorum ex aurichalco confecta: item tabulam, in qua ex variis ejusmodi clavis aut bullis dies fasti & nefasti cognoscabantur.

§. 130. Varia fuit sigillorum figura: usitatissima fuere, orbicularia, ovalia, rotunda horizontalia, parabolica rotundata, triangularia &c. Icones in iis expressæ diversissimæ pariter fuerant. Brevem illarum catalogum fisto: in duas autem potissimum classes generaliter dispisci possunt inscriptions ejusmodi reales; aut enim sunt, *idiopragmaticæ*, aut *symbolicæ*.

Ad *idiopragmaticas* referuntur imagines Sanctorum, Imperatorum, Regum, Principum, comitum, Episcoporum, Abbatum, quorum mox capita, sine aut cum parte corporis, mox integra corpora exhibentur, ac propterea vel *cyrilogicæ*, vel *holographicæ* dicuntur.



Ad *symbolicas* pertinent: 1) *Cruces*, pietatis christianaæ symbola, variis in locis sigilli expressæ. 2) *Cronæ Imperatorum*, Regum, Principum &c. 3) *Hastæ Potestatis & Imperii symbola*. 4) *Sceptra & Baculi Regii*. 5) *Globi terrestres seu poma Imperialia*, quæ orbis terrarum Dominos se erant ostensuri Imperatores. Iam Romani Veteres usi sunt iis. In Bulla Ludovici Pii primus occurrit *globus cruciger*. 6) *Manus justitiae*, ab Hugone Capeto primitus usurpatum Galliæ tantum & Angliae Regibus imitatoribus insigne proprium fuit, nunquam ab Imperatoribus Germanis adhibitum. 7) *Throni* in sigillis Majestaticis veteribus nihil a Sella communi discrepantibus. 8) *Gladii auctoritatis praefertim Principalis tessera*. Celebris est Herbipolitanorum sigillorum Epigraphe: *Herbipolis sola judicat ense, stola.* 9) *Vexilla & Clypei (a)*. 10) *varia vestimenta, animalia, flores, palmæ, turre, portæ, castella, arma gentilitia*.

a) De clypeis, eorumque varia forma, ac insignibus in iis expressis specialiter tractat ars heraldica, quæ quum juxta Serenissimi mandatum in classibus inferioribus tradenda fit, bene hoc loco supponitur.


§. 131. Circa inscriptiones literales sigillorum notanda sunt sequentia. 1) Quo antiquiora sunt sigilla, eo simpliciores & breviores eorum sunt inscriptiones.

2) A

2) A Seculo XI ad XIII longiores inscriptiones in usu fuerunt. 3) Diversas saepe Principes in diversis sigillis inscriptiones habuerunt. Quæ ratione literarum, figlorum, monogrammatum, &c. monenda sunt, partim jam adtuli, ubi de vario scriptio[n]is genere locutus sum, partim uberius coram exponam.

§. 132. Modus sigilla Diplomatibus adnectendi duplex fuit: aut enim e filis pendula, aut, si metalla excipias, ipsi impressa Diplomati deprehenduntur; metalla siquidem omnia semper adpendebantur: antiquissimum vero sigilli cerei adpensi exemplum suppeditat Diploma Roriconis Episcopi Laudunensis de anno 961. Sigillorum impressorum locus ordinarius ad dextrum diplomatis latus fuit, ac in Merovingicis quidem diplomaticis paulo supra ultima dati verba, in Carolingicis post, aut supra signum recognitionis Cancelliorum, interdum vero, praesertim in Gallia, infra datum collocata fuerunt. In chartis Ducum, Episcoporum & Abbatum sigilla ad calcem literarum rejecta sunt, ita quidem, ut vel mediae paginæ, vel extremæ chartarum oræ, & dextræ quidem plerumque adfixa cernantur. Vid. Gatterer S. II. §. 346.

* Singularem prorsus industriam Veteres impendebant, ut sigillorum fides illæsa permaneret. Sic e. g. membranam immo etiam Papyrus Aegyptiacam ex ea parte, in qua si-



gillum imprimendum erat, in crucis vel ordinariae, vel decussatae, vel stellulae etiam modum incidebant, ita quidem, ut revulsis incisuræ angulis cera per foramen transmittentur, & ex parte adverba, subinde ex utraque obsignaretur. Aut non raro pilos ad majorem tenacitatem ceræ immiscerant: aut varia pro arbitratu signa imprimebant.

** De sigillis in specie vide sphragisticam specialem laudati jam saepius *J. Christoph. Gatterer*, & de seminarum præfertim, ac filiorum Principum comitumque vivente adhuc patre sigillis consule *Philipp. Will, Gerckenii* *Ummerkungen über die Siegel zum Nutzen der Diplomatik*.

*** Regulas pro discernendis sigillis supposititiis Gatterer sequentes ex Heineccio tradit. I Quodcumque sigillum figuræ multo recentioris est, quam diplomatis ætas ferre possit, illud merito inter adulterina est referendum. II Si cera coloris sit tum temporis neandum recepti, aut pro ætate pinguior; sigillum etiam non caret suspicione. III Si sigillum cereum adpensum dicitur eo tempore, quo nondum invaluerat; aut si impressum dicitur eo tempore, quo dum haec consuetudo exoleverat, non dubitandum videtur, diploma esse suppositium (a). IV Si sigillum aliud in fine Diplomatæ nominatur, aliud membranæ adpensum est; sparium esse arguit. V Si a seculo octavo usque ad medium fere undecimi in sigillo insignia gentilitia proferantur ad artis heraldicæ regulas composita; fraus in oculos incurrit. VI Si in sigillo antiquiore titulus prolixior, & ad hodiernum morem compositus, aut aliunde ineptus sigillum ambiat, crism non fert. VII Si proprium in sigillo nomen reperiatur, quod tum temporis neendum in usu fuit; de ejus fide merito dubitatur. Eadem dic de formulis ætate Diplomatum recentioribus VIII. ipse quoque sigillorum imagines, si a ceteris ejusdem ordinis & artatis imaginibus nimium discrepant, & contra cum aliis recentioribus satis

con.

conveniunt, suspicionis haud parum habent. IX. scribendi characterum solida notitia non parum subsidii adferet, ad dignoscenda diplomata spuria a genuinis ex ipsis literis in sigillo conspicuis, variaque illarum proxtate varia figura.

a) Duraverunt sigilla impressa 1) in Anglia usque ad Eduardum Confessorem, aut Wilhelnum Conquerorem. 2) in Gallia usque ad Ludovicum VI. Crassum. 3) in Germania usque ad Fridericum I. 4) in Flandria usque ad Balduinum VII. Comitem securis dictum. Episcopi & Abbates perdurarunt in sua imprimendi sigilla consuetudine usque ad sec. XII.

**** Et aliqua *contrasigillorum* mentio facienda est; sunt autem sigilla minora, sigillorum primiorum faciei aversæ impressa, aut seorsim adnexa; non raro etiam sub sigillorum secretorum nomine veniunt. Usum eorum forte fundavit, ut tituli in primariis sigillis spatium non convenientes illis inscriberentur, major diplomatis auctoritas firmaretur, sigilla primaria non tam facile paterent impostorum fraudibus. Ad decem genera reducit Gatterer l.c. §. 328. videicet 1) in ea, quæ in ipsa epigraphæ sic nominantur. 2) Quorum epigraphæ est continuatio epigraphes jam in majore sigillo cepta. 3) quorum quidem epigraphæ non est continuatio, sed ita tamen comparata est, ut ipsa contrasigilla seorsim non facile adhiberi possint. 4) in *Contrasisylla*, quæ expressis literis, aut verbis sigilla minora dicuntur. 5) quæ simpliciter sigilla dicuntur, licet ad contrasignandum adhibeantur. 6) quæ secreta, sigilla secreti, secreta sigilla appellantur. 7) quæ a primariis sola quantitate differunt. 8) anepigrapha, quæ nullam inscriptionem habent, adeoque tantum signata, sive cacheta sunt. 9) *Contrasisylla* aliena, quæ hominis sunt sigilla, cuius nulla in diplomate mentio sit. 10) *Contrasisylla* *contrasigillorum*, quæ in confortio minoris sigilli, licet alias contrasigilla fuerint, prima ria fiunt.



§. 133. Ad criteria diplomatum interna nunc delabimur, quæ paragraphis sequentibus juxta eum, qui in diplomatibus observari consuevit, ordinem breviter exponam. Primum igitur de *ingressu* prævio agendum est. Notanda præcipue in eo est invocatio divini nominis, quæ jam apud ethnicos usitata fuit, diplomaticis suis: Θεος aut solenne illud: *A Jove principium præfigentes.* Christiani morem hunc fecuti; unum & verum Deum pariter invocabant in suis diplomaticis. In plurimis quidem Merovingicorum diplomaticis nulla ejusmodi invocatio reperitur; (a) frequentius vero usi sunt ista Carolida: quanquam Carolum M. rarius, ac ipsius posteros, eam adhibuisse, fatendum est. Varia fuit invocationis formula, e. g. *In nomine Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi.* *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Carolus Calvus elegit hanc: *in nomine Sancte & Individuæ Trinitatis,* quam etiam posteri ipsius adoptarunt; unde qui diplomata adferret hoc Carolo antiquiora, & hac invocationis formula insignita, malæ fidei argui posset; sicut & nulla ferme sint post Carolum hac formula destituta: si pauca Rudolphi I & aliquorum successorum ejus experis, qui plane omiserunt.

a) Aliqua Merovingicorum diplomata genuina a Zyllelio in Defens. Abbat. S. Maxim. P. III. C. 3. §. 6. adferri

ferri in quibus diuinum nomen invocatur, ait Joachim.
I. c. 7. §. 3.

§. 134. Invocatio hæc non semper adpertis verbis concepta fuit; sed quandoque etiam per signum, quod *Chrismus* dicebatur, indicata. Varia chrismi figura fuit: sub Merovingicis, & sub Carolidis prioribus referebat illum litera I. majuscula literæ C. una, aut utraque ex parte per anfractus juncta, vestita litera n, cui subinde aliæ literæ X. D. S. P. &c. insertæ fuere: sub Carolidis posterioribus litera C. majuscula dominari cepit. Præter consuetam hanc chrismi formam etiam signa varia serviebant siglis similia, adjunctis interdum literis græcis A & Ω. Uſus illius tam in codicibus manu exaratis, quam diplomatis fuit: origo a primis Merovingicæ stirpis Regibus repetenda: duratio (nisi aliam chrismi speciem seculo XIV adhuc usitatam intellexeris) ad seculum XIII, ipsaque Ottonis IV. tempora perstet. Locus non tantum, in fronte diplomatum, sed etiam ante formulam recognitionis Cancellariorum, rarissime ante datum fuit. Germaniæ Cancellarii circa tempora Ludovici Germanici; Galli vero post Ludovici Balbi regnum a Chrismo abstinuerunt. De ipso significatu videatur auctor *Syntagma dictandi* apud Mabillon. L. VI. adlegatus.



§. 135. Post ingressum diplomatis prævium ipse illorum initia perlustremus; quæ titulum personæ concedentis, ipsamque causarum concedendi, seu motivorum intimationem continent. Titulum quod adtinet, ille vel sine, vel cum *pronomine*, eoque aut in singulari, aut in plurali numero efferebatur. Merovingici quidem & Carolingici omni ut plurimum pronomine prævio abstinuerunt; licet teste *Eckhard introduct.* in *rem diplom.* S. III. c. 2. §. 10, de se in plurali loquantur. Post Rudolphum I, quod parcus antea factum fuit, imperatores, ceterique Reges, ac Principes liberalius pronomen *Nos* suis nominibus præfixerunt; quanquam nec hoc universaliter adseri potest. Sigismundus enim imperator teste *Wernero Techemacher.* in *annual. Cliv. Jul.* &c. in diplomate confirmatorio privilegiorum Reinoldi Juliacensis ac Geldriæ Ducis de anno 1416 sic orditur: *Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus* &c. Et Diploma anno 1425 Adolpho Juliaci ac Geldriæ Duci datum incipit, *Nos Sigismundus* &c.

§. 136. Formulae *Dei gratia* aut similem nomini diploma quoddam dantis immediate postpositum seculo XIII evincunt Diplomata: *Caroli M.* de anno 802, quod incipit: *In nomine Sanctæ individuae Trinitatis Carolus* divina donante Clementia *Imperator Augustus*:

Zeven-

Zzventeboldi Regis Lotharingiae de anno 898, cuius initium tale: *In nomine Sanctae &c.* Zzventeboldus misericordia Dei Rex: *Alfriedi Hildesiensis diploma fundationis Abbatiae Essendienis de anno 977*, in quo post invocationem sequentia leguntur: *Alfriedus Dei disponente providentia Hildefemensis Ecclesiae Antistes.* Vid. Teschenmacher l. c. Cod. diplom. pp. 50. 51. & 52, Wiguleus Hund. a Sulzenmos. in Metrop. Salisburg. Freher. in Orig. Palat. Errat igitur Aventinus, qui formulæ hujus adponendæ initium ad Secul. XII decicit. Vid. ejus Annal. Boic. L. 6. & Leuber in Magdeburgischen Stappelunfug, qui sic dictum interregnum magnum pro initio hujus consuetudinis adsignat. Alii contra, sicut Hagelgans. Diff. de Titulo: *Nos Dei gratia statuunt eam jam Constantini ætate fuisse cognitam, & ab Ecclesiasticis præsertim propagatam.* Ex his omnibus sequitur, certi omnino nihil ex ejusmodi formula pro valore, aut nullitate diplomatum erui posse.

* Pontifices ut plurimum omittunt invocationem, & ab ipsa nominis, quod omnibus aliis præponunt, inscriptione inchoant. A temporibus Gregorii M. eidem titulum addunt: *Servus servorum Dei.* Speciale est exordium Gregorii III Pontificis ad Bonifacium: *Reverendissimo & sanctissimo fratri Bonifacio Coepiscopo Gregorius servus servorum Dei;* datum est hoc diploma anno XXIII Imperii Leonis Isaurici, adeoque circa annum 738. Paulus primus communiter creditur hunc suum nomen aliis præponendi, atque



atque exordiendi morem induxisse, ac Pontifices ipsi secutos morem hunc constanter imitatos fuisse; nihilominus tamen Leo III Pontifex annis 31 post Paulum diploma de immunitate templi S. Emmerani Ratisbonæ sic incipit: *In nomine Domini nostri Jesu Christi, Leo Papa agnatum esse volumus &c.* vid. Hundius l. c. Episcopi Titulo; *Dei gratia addiderunt: & Apostolicae sedis.*


§. 137. Ut certi quidpiam circa Regum & Imperatorum titulos statui possit, diplomata Regum Francorum primæ & secundæ stirpis, a primorum Germanicorum Regum diplomatis bene discernere oportet. In Regum Francorum diplomatis semper titulus *Rgis Francorum* reperitur, quem subinde additamento: *Vir illuster, aut Inluster augebant.* Quin Carolo M. solenne fuit, ut se præterea diceret *Patricium Romanorum & Regem Longobardorum.* Exemplo sit Diploma Monachis S. Emmerani Ratisbonæ circa annum 798 datum, quod incipit: *Carolus Gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, Paritus Romanorum* (a) Post annum vero 800, quo in festo natalitio D. N. I. C. a Leone II. Pontifice Imperator renuntiatus est, se quoque *Imperatorem Augustum* nominavit. Confirmatur hoc ex diplomate S. Lutgero Abbatii Werthinensi anno 802 dato, quod sic inchoatur: *In nomine Sanctæ individuæ Trinitatis, Carolus divina donante clementia Imperator Augustus.* b) Hunc Caroli morem omnes ex Francorum

Regum

Regum stirpe Imperatores successores sunt imitati.
 Piores vero Germania Reges Conradus scilicet I &
 Henricus I solo Regis titulo sine ulla regnorum aliorum
 adpositione contenti erant. Primus inter eos Otto M
 fuit, qui post coronationem Romæ factam c) Impera-
 toris Augusti d) titulo in Diplomatis suis uteretur.

a) Plurimi semper habitus fuit titulus *Patricii Roma-
 norum*. Non solus enim Carolus M., sed & antecessores
 & successores ipsius adsciebantur illo. Ex antecessoribus
 constat de Clodoveo ex *Gregor. Turon.* L. II. c. 38. Post
 Carolum Otto M. & Henricus IV. potissimum illo delecta-
 bantur; quin teste continuatore *Hermann. contract.* ultimus
 adeo missam sibi coronam patricialem gestabat.

b) Disputatum etiam ab eruditis fuit, an Carolus un-
 quam in diplomatis titulo *Magni* usus fuerit: adseri-
 bat Ughellus T. I. Ital. sacr. ex litera quadam, quam
 tamen *Mabillonius* supposititiam judicat. Regula Pagii Tom.
 III. crit. Anti Baron. ad annum 814 præplacet; ait iste:
*Titulus ille Carolo nonnis post mortem datus, ut patet ex ejus
 diplomaticis. Indeque liquet, quicumque diplomata, in qua-
 bus *Magnus* nuncupatur, mere supposititia, eique adscita esse.*
*De Ottone primo pariter *Magnus* appellato res dubia est.*
*De Ludwig in Rechtl. Erläuterung der Reichshistorie, negat,
 eum, quum viveret, hoc titulo usum fuisse, eo quod nul-
 lum diploma ex omnibus, quæ in archivio Magdeburgensi
 supersunt, hunc titulum ceteris adjunctum habeat: adfir-
 mat autem Calmetus *Histoire de Lorraine* & cum eo Joachim.
 l. c. VIII. q. quia in Archivio Lotharingensi prostarent
 diplomata titulo *Magni* conspicua.*



* Specialius etiam quæri potest, quando ceperint Imperatores Germani se Augustos vocare. Baclerus in notit. Imper. c. 1. & Conringius ad Lampad. c. 2. putant titulum hunc primo usurpatum a Friderico I fuisse; ast refellit eos Joachim. l. c. Et ex eo Cl. Collega meus Schrab in *Introduct.* in rem diplom. P. II. §. 79. qui ostendunt, jam ab Ottone III., Conrado II., & Henricis hanc formulam fuisse adhibitam; ast altius eam adhuc ascendere, patet ex privilegio ab Ottone I. ann. 995. monasterio Einsideleni concessa, quod incipit: *I. N. S. I. T.* Otto divina favente Clementia Imperator Augustus. Vid. Rasler. *Vindicat.* contra vind. diplom. Lindav. append. dipl. Idem evincitur ex altero privilegio Ottonis II, quod sic habet: *I. N. S. E. I. T.* Otto Junior senioris divina annuente Clementia Coimperator Augustus. Otto forte III. voculam semper addiderit.

c) Etiam Ottonis M. successoribus solenne fuit, ad coronationem usque Pontificiam a titulo Imperatoris Augusti abstinere. Onuphrius Panvinius de Comit. Imp. c. 5. apud Joachim l. c. ait. Qui (Imperatores) ante Pontificiam coronationem, se Reges tantum, vel electos Imperatores appellare consueverunt: post supremam vero, quæ Romani Pontificis erat, inunctionem, omnes antiquorum Augustorum titulos adsumere solebant. Ipse Otto in diplomate anno 956. Quedlinburg dato se tantum Dei gratia Regens dixit. vid. Samuelis Reyheri Thuringia sacra p. 750.

d) Quando inceperint Imperatores ejusdem nominis se ratione ordinis numeris distinguerre, adcurate definiri non potest. Si diplomata Henrico II antiquiora olim detegantur, communis, quæ hunc ipsum Henricum auctorem statuit, sententia evertetur. Ceterum nec ipse Henricus, nec Imperatores ipsum secuti hunc se se ab ejusdem nominis Imperatoribus per numeros distinguendi morem scrupulosius observarunt. Confer in hunc finem ejus diploma Ecclesiæ Frisingensi ann. 1021 datum, quod post inyo-

invocationem sequentia habet: *Hainricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus.* In duobus aliis eidem Ecclesiae anno 1003 datis se etiam simpliciter *Henricum dievina favente clementia Regem nominat.* Vid. *Wiguleus Hund. l. c. T. I. de Epis. Frising.* Similia apud eundem occurunt de Henrico III. & IV. & apud *Teschenmacher & Noppius in der Aacher Chronic l. c. de Lothario II. & Carolo IV. &c.*

Scholion. Probe ab initialibus distinguendi sunt tituli in ipso diplomatum contextu occurrentes: Duplicitis hi sunt generis; aut enim ipsas personas concedentes respiciunt, aut eas, quibus concessio facta est. Personae concedentes Imperatores aut Principes solenniora sibi habebant elogia: *Majestatis, Celsitudinis, sublimitatis, Regalis culminis, Regalis magnificentie, Regalis Clementiae,* &c. Leuberus quidem *Majestatis* titulum Carolingicorum & Germanorum ayo juniores adserit; ast fatis refutatur ex Gruteri Corp. *Inscript.* Relandi fast *Consul.* &c. Personae, quibus concessa fuere diplomata, aut *Ecclesiastici* fuere, aut *Laici*. Priors, Episcopi scilicet cum Abbatibus ab initio, & postea etiam alii elogiis *Venerabilium, Venerandorum, Honorabilium, Religiosorum & sanctorum* condecorabantur specialius: *Dilectorum* titulus communis cum Laicis fuerat. Titulus *Illustris* a Romanis Patriciis, *Expatriciis, Praefectis pratorio, viris consularibus &c. ad Francorum Reges transiit: sub regibus ac Imperatoribus Germanicis elogium istud Ducibus Comitibusve tribuebatur;* quin adeo jam ante horum tempora Duces se ipsos in Diplomatibus suis illustres vocabant. Exemplo esse potest Diploma Tassilonis anno 782 Attoni Episcopo Frisingensi datum, quod incipit: *In Dei nomine Ego Tassilo Dux Bavrorum, vir illustris.* Etiam privati ad Episcopos & Abbates scribentes hunc ipsis titulum non raro tribuebant. Vid. Epist. 5. *Abbatis Lupi ad Abbatem Fulensem Rabanum postea Metropolitam Moguntinum: Epist. Ago-*



*Iardi ad Hilduinum & Walam in Imperatoris Ludovici aula
 summis muneribus admotus, cuius inscriptio talis est: Dominis
 & sanctissimis, beatissimis, viris illustribus, Hilduno sacri Palatii
 Antifiti, & Wale Abbati.* Quid ob hunc titulum de famo-
 fo diplomate Lindaviensi sentiendum sit, vide apud Jo-
 achim. l. c. IX. §. Conring. Censur. diplomat. Lindav. Er-
 nesti Tenzelii Vind. histor. Justa defensio contra Coring. Raß-
 ler contra Tenzel &c. Unum hoc observari meretur, quod
 in Justa Defensione haec in diplomaticis tenore verba habe-
 antur: *Per interventum fidelium nostrorum illustrium rabani-
 scilicet sanctae mogontinae aeccliae metropolitae nec
 non Salomonis videlicet constantiensis aeccliae praefulis
 postulavit: in diplomate vero a Raßlero adlato illustrium
 vocabulum omittatur.*

Nobilium mentio quando in diplomaticis ante secu-
 lum XV. occurrit, sedulo distinguendum est inter eos ac
 nostra atatis nobiles; hi enim ante dictum seculum Mi-
 nisteriales (Edelfnechte) duntaxat, aut equites dicebantur:
 ante hoc tempus per illos Duces, Principes, Comites Ba-
 rones, Dynastæ intelligebantur. Vid. Leibniz. *Introduct.*
 ad T. II. script. rer. Brunsvicens. De nobilibus apud ve-
 teres Francorum populos disceptatur inter eruditos, num
 certum ac separatum quendam a reliquis hominibus liberis
 seu ingenuis constituerint ordinem. Hadrianus valesius in
 notitia Galliar. sub rubr. Rotomagus & Hertius in notit.
 Franc. vet. negant: adfirmant contra Thomasius in dissert.
 de origin. feudal. §. 15. Gundling. in dissert. an nobilitet
 venter. Kopp. tract. de insigni differ. inter S. R. I. Co-
 mites & nobiles immediat. Ratio qua adfirmantes nituntur,
 desumitur ex eo, quod scriptores proxime aequales distin-
 guant inter homines liberos ac nobiles & nobilissimis natalibus
 oriundos. Vid. laud. tract. Koppii §. 3. ubi testimonia
 prolixius adducit. Ceterum & ipsi Imperatores, eorum
 que filii se nobiles aut nobilissimos adpellare, olim non eru-
 bue-

huerunt. Quomodo autem nostræ ætatis nobiles orti sint,
videatur locus ex Stumpfi Schweißchronic apud Joachim
l. c. & Kopp. l. c.

Principum denominatio ante seculum X. rarissima,
& ab eo tempore ad Henricum IV dubia sub eo tandem
jure cancellariae donata fuit.

§. 138. Titulos ipsa plerumque *intimatio* seu cau-
sa expositio subsequitur, eaque vel determinatis tantum
personis aut universim indicatur; & sic etiam variant
formulae. Aliquando ejusmodi intimations vestitæ
motivis, aliquando nudæ sunt: motiva in causis justi-
tiae plerumque adsignantur *justitia*, *æquitas*, *honestas*,
utilitas; in donationibus autem ut plurimum pro moti-
vo allegant salutem animæ. Volumen conjecturus esset,
qui formulas omnes quae notariis in promptu erant con-
scribere pararet.

§. 139. Quam adcuratam veteres in suis diplo-
matibus rerum aut adjudicatarum, aut donatarum men-
tionem fecerint, ignorare tantum potest, qui diploma-
ta ejusmodi necdum inspexit. Candidatorum gratia
adpono exemplum ex diplomate Conradi II. Impe-
ratoris Engilberto Frisingensium Episcopo dato: Cur-
rem Emlingen sicam in Comitatu Vdalstaiti comitis, cum
ecclesia dote & decimis legitime confirmata, cum areis, edi-



ficiis & ueriusque sexus mancipiis, exitibus & redditibus,
viiis & inviis; agris, pascuis, silvis, pratis, aquis, aqua-
rumque decursibus, molis, molendinis, pificationibus, que-
stis & inquirendis, cultis & incultis & cum omnibus uten-
silibus que aut scribi aut nominari possunt.

§. 140. Admissio in possessionem cuiusdam mu-
neris, juris, aut rei solis interdum verbis, aut scriptis;
ad maiorem vero solennitatem frequenter etiam adhibi-
tis in hunc finem variis signis ac Symbolis indicabatur:
ultimo loco descripta admissio uno vocabulo *investitura*
dicitur. Hujus investituræ aut modi rem aliquam tra-
dendi etiam non admodum raro in diplomatibus men-
tio fit, ad majus illis robur conciliandum. A Seculo
VII. rarius; a IX. frequentius mos hic in diplomatis
observatur. In divisione symbolorum bene a Cangio
recedit Gatterer I. c. §. 247. & investituram potissi-
mum triplicem statuit. 1) *Munerum vel sacrorum, vel*
civilium: 2) *Bonorum:* 3) *Jurium.* Munerum Ecclesia-
sticorum symbola præcipua fuere sequentia: Annulus,
mitra, pedum, portæ vel claves Ecclesiarum, campa-
narum funes, aut sonitus. Civilium: Gladius, vexil-
lum, hasta, sceptrum. Ab initio signa hæc promiscue
adhibebantur; postea vero per gladium regna, pro-
vinciae per vexilla, per sceptralia & hastas Ducatus signi-
fica-

ficabantur. *Bonorum* symbola hæc fuerunt frequentissima: Cespes, herba, terra, ramus, baculus & annulus, fustis, lignum, cultellus plicatus aut protensus, chirothecæ, &c. *Jurium* symbola varia erant, sic quum lites inter monasteria & Præfules ortæ dirempta fuerunt, plerumque viætrici parti *baculus* datus est, &c. Videatur index Alphabeticus præcipuorum investituræ symbolorum, quem sistit Gatterer l. c. §. 249.

Scholion. varii in tradendis & accipiendis symbolis ritus olim fuere observati. Plerumque ea ab iis, qui aliquid donarunt, vendiderunt, vel restituerunt, aræ principi cujusdam templi imponebatur; quædam etiam, baculi e.g. & festucæ in Ecclesiarum gazophylaciis recondita sunt. Culter haud raro propria largitoris, aut restitutoris manu in conspectu omnium complicabatur, frangebatur, & sic fractum, aut complicatum vel in altari reponebatur, vel altari tradebatur. Præter cultros buccinas etiam, gladios &c. frangere solebant: nummi: etiam perforati chartis subinde sigillorum instar adpensi: annulli diplomati ipsi, aut aræ principi catenuia adnexi: glebæ ex ipso fundo donato, aut vendito vel chirotecis insertæ, vel etiam simpliciter in Ecclesiis custoditæ: frustula ligni, stipulæ, pilorum e barbis evulsorum numero certo sigillis adjungebantur. In investituris per vexillum factis plerumque tot vexilla, quot provinciae tradebantur. Interdum plura ejusmodi symbola conjunctim placebant, uno interdum contenti erant. De baculis quibusdam ejusmodi Turonii, Parisiis, item de cultrorum manubriis varie inscriptis videatur Gatterer l. c. §. 250.



§. 141. Ut firmius voluntati suæ robur persistaret, pœnas in ære, aut cute solvendas, diras execrationes & imprecations, excommunicationes non tantum in diplomatis Imperatores & Principes, sed alii etiam inferioris conditionis in contractuum suorum, donationum chartis, & literis ultimæ suæ voluntatis testibus, in transgressores & violatores statuerunt. Similia jam occurrunt *apud Plutarch. in vita Solonis: L.L. Rom. antiquis*, uti observat Servius ad v. 622. l. IV. Aeneid. Obrecht de Termino Deo: L.L. *Wisigoth. L. VII. Tit. V. §. 8.* quos vide *apud Joachim. l. c.* Harum poemarum & imprecationum formulæ frequentissimæ occurserunt in diplomatisbus. Enormem prorsus vide in *Turing. sacra bift. monast. Burgelinensis p. 775.*

§. 142. Post contextum diplomatum ipsa eorumdem clausula & variæ subscribendi formulæ considerandæ veniunt. *Subscriptiones* aut *subsignationes* Imperatorum & Regum (quæ duo vocabula, licet hodiecum a Jurisconsultis distinguantur, priscis eadem fuere) variis formulis indicabantur; solenniores hæc, aut similes fuerant. Ut hæc verius credantur, ac inconclusa permaneant: Ut hæc nostra traditionis auctoritas firma integraque permaneat: Ut hæc præceptio firmior habeatur, & diuinis temporibus melius conservetur, hanc chartam conscribi

bi jussimus, quam propria manu subitus roborantes sigilli nostri impressione fecimus communiri. Meroveadibus folenne fuit posito signo, puta: monogrammate, aut cruce adjungere vocabulum *subscripti*, omnibus, tribus, aut una duntaxat litera indicatum. Carolingici primi fuerant, quibus placeret hæc formula: *signum Caroli gloriosissimi Regis.* Vid. Hund. l. c. Placuit etiam successoribus Germanis, uti ex formulis: *Signum Clarissimi, piissimi, Serenissimi, invictissimi patet.*

* Vocabulum *signum* in diplomatis anceps est; jam enim pro subscriptione nominis, jam pro monogrammate & cruce, jam pro ipso sigillo usurpabatur. Pro sigillo Carolingicis vocabulum anulus una litera *n.* in usu fuit. Videatur etiam supra §. 127.

§. 143. Subscriptionem, aut signum regium sequitur signatio Cancellarii, Archicancellarii, Archicapellani.

Scholion. Cancellariorum dignitatem in aulis Imperatorum fuisse summam, nemo est, qui ambigat; quamvis id non ex Aurelii Cassiodori ad Joann. Cancellarium epist. L. XI. Variarum contenta a Joachim l. c. XI. H. & de Ludewig in comment. ad auream Bull buc adPLICata deducendum existimem: quum, uti ex præfatione istius Libri constat, Cassiodorus in eo de se ipso, ac proinde etiam in data epistola: non de Imperatoris, sed suo Cancellario loquatur. An a cancellando, seu lineolas male scriptis subducendo, an vero a cancellis in grammaticalibus & tabulariis ad remorandam curiositatem constructis sic adpellati fuerint, disquirant, quibus otium est, etymologicas



argutias venari. Meroveadum ætate referendarii dicebantur, quod munus apud Imperatores Romanos receptorem libellorum supplicum, & dati ab Imperatore responsi communicatorem denotabat: Non raro etiam Notarios se se adpellabant; qui mos sub Carolingicis familiaris non penitus sub Germanis exolevit. Frequenter etiam Capellani nominabantur. Qui ex iis per antonomasiam Cancellarius erat, seu Notariorum collegio præfuit, Archicancellarii, aut Archicapellani adpellationem obtinuit.

* *Nomen Capellani a Cappa S. Martini Francorum Regibus in honore maximo habita. Et a loco, in quo ista pacis præsertim tempore una cum reliquis ornamentis sacerdotalibus adservabatur, descendisse videtur. Quare etiam Clero aulico nomen Capellani tributum fuerit.*

Scholion. 2. Officium Cancellariorum seu notariorum apud imperatores erat, ut diplomata conficerent, & post imperatorem subscriberent, & in chartophylacis custodirent.

Scholion. 4. Nostra ætate tres sunt Archicancellarii in imperio, iisque tres Archiepiscopi, videlicet Moguntinus per Germaniam, per Italianam Colonensis, Trevirensis per Galliam Regnumque Arelatense. Archicancellarii per Germaniam dignitatem sedi Moguntinae jam ab Ottone I. stabilem, ab Henrico III Archicancellariatum Italicum Coloniensi, a seculo demum XIII. Gallicum & Arelatensem adhæsisse Triverensi creditur.


Scholion. 4. Subscriptio Cancellarii per signum, quod adjungit, recognitionis siebat: Varia illius figura fuit, & tria potissimum in ea distingui debent. 1) Circunductus (der Umgang) 2) area (das Feld, oder der innere Platz) & 3) appendix (der Nebenzug) Circunductus ex litera f longiori & aequaliter ducto, literalis & quidem simplex, si sola isthæc litera

litera arcuata fuerit: *compositus*, si arcui simul implexa fuerit litera t. Circumductus ex variis lineis effectus, linearis dicitur: quadruplicis hic forma est. Campanæformis (Glockenförmig) Castellaris (Castellförmig) turritus (Thurus förmig) Cincinatus (Lockenförmig oder gekräuselt):

Area ipsa vel lineis, aut ductibus etiam crispati illam transverse secantibus in plures cellulas (Felder) divisa est; & distincta dicitur: quodsi vel vacua fuerit, vel ductibus arbitrariis litteram s varie referentibus, notis tironianis, aut etiam arbitrariis, litteris nonnullis ex vocabulo subscripti defumptis, aut vocibus disertis repleta; indistincta seu simplex vocatur. Voces ejusmodi sunt sequentes e. g. subscriptis: franco præposit. ambasciavit (hat Vorbitte eingesetzt) &c.

Appendix varie quoque in diplomatis formata est. In signis litteralibus, præsertim simplicibus, lineis interdum obliquis, curvatis, plerumque autem transversis ac prominentibus in plura tabulata (Stockwerke) divisa est, ita quidem; ut notæ tironianæ pariter atque arbitraria partim lineis innixa, partim tabulatis insertæ deprehendantur. In signis linearibus & quidem a) in campanæformibus *a)* plerumque ex superiori cellula areæ ipsius prorumpit, & ab initio quidem arcui tantum innexi sunt ductus quidam prominentes, & ad modum literæ f. formati: mox vero etiam ex sinistra parte cellulæ superioris profilire ceperunt lineæ obliquæ ductus dexteros aut intersecantes, aut iis tantum adjunctæ. Interdum etiam cellula superior in duas partes perpendiculariter divisa est, unde ex utraque parte variae lineæ prominent. Singularis est appendix in quodam diplomate Ottonis II. Imp. & merito flammifera vocari potest. *B)* Interdum, sed rarissime crispati tantum ductus campanam circumdant. *C)* Etiam reperiuntur aliqua signa campanæformia appendice prorsus destituta.

b) In



b) In *castellariis* appendix ex literis monogrammatis instar conjunctis lineola quædam ex superiori castelli fini- stri parte incurvata signo ipsi conjuncta est.

c) In *turritis* appendix in modum crucis, aut circuli superiori parti adfixa est:

d) In *cincinnatis* latus finistrum similes cincinni trans- versim formati stipant.

* *Icones captui utiles coram ostendam ex eodem, quo
haec divisio deponpta est, Gatterer.*

Scholion. 4. Epochæ signorum recognitionis statuen- dæ potissimum duæ sunt. Prima ab antiquissimis Merovea- dum temporibus usque ad finem seculi X. excurrit, & con- stans fuit illorum usus, si posteriores Carolidas Ottoni II. ferme æquales exceperis. Altera ab Ottone II ad Henri- cum V. Imp. extendenda, in qua variavit usus, moxque posita, mox vero omissa fuere.

Scholion. 5. Locus signorum recognitionis ordinarius in signis *literalibus* & *campanæformibus* fuit inter formulam recognitionis & sigillum, quamdiu formula recognitionis cum signo per voculam ♂ connexa fuit, hac non sic connexa signa campanæformia modo ante - modo postpone- bantur sigillis. Signa *castellaria* & *turrita* ordinarie ante sigilla collocabantur. *Cincinnatorum* unicum videt Gatte- rer, idque figillo præmissum.

Scholion. 6. Usus horum signorum non tantum No- tariis Imperatorum, Regum, Principum, sed etiam per- sonarum illustrium, Abbatum, &c. communis fuit.

Scholion. 7. Antiquissima populorum confuetudo fue- rat, solennioribus suis actionibus testes adhibere, quibus maius illis robur firmarent: morem hunc Merovingici se- cuti

guti; Germani vero ad finem seculi XI neglexerunt. Lotharius II primus fuit, cui ordo in testibus adlegandis ita placuit, ut primo loco *Ecclesiasticos*, secundo *Laicos non ministeriales* tertio *Ministeriales* poneret.

§. 144. Ad interna diplomatum criteria etiam chronologia pertinet. Est autem ea vel annorum, vel dierum, Ad Chronogiam annorum rite dijudicandam sciendum omnino est, quem populi, de quorum diplomatibus pronuntiandum est, morem inchoandi & numerandi annos fecuti fuerint. De aliis præter Germanos consulantur potissimum scriptores chronologici. Germani annos suos a Martio inchoabant. Et primi fuerant Longobardi, quibus æra Christiana in diplomaticis placuit: a Carolo autem M. potissimum annos ab incarnatione D. N. I. C. numerandi mos invaluit; quamvis nec iste in diplomatis fuerit, usque dum ad Imperii clavum Germani federunt.

* Ecclesia Trevirensis usque ad annum 1567. annos a festo annuntiationis B. V. M. ordiebatur, quum contra colonienses jam anno 1310 morem hodiernum adoptarint, ut patet ex Concilii Provincialis eodem anno sub Henrico de Virneburg Archiep. celebrati statuto XXIII., quod tale est: *Ex nunc de cetro annus Domini observetur, & in nativitate Christi innovetur, a quolibet anno, prout S. R. Ecclesia id observat.* Inde etiam observantia fuit ut haec Ecclesia speciatim monerent diplomatum suorum lectors, ea secundum stilum sibi peculiarem esse interpretanda.

§. 145. A Constantino M. mos invaluit, pro signo chronologico *indictiones* adnotandi: Erat autem

indictio



indictio tempus 15 annorum. Nomen suum temporibus Augusti a tributis indictis debere, passim putatur. Triplex autem potissimum a triplice annum ordendi more occurrit inductionis genus. *Constantinopolitana* a Calendis Decembribus; *Constantiniana* seu *Cæsareana* a XXIV. ejusdem mensis die; *Pontifícia* seu *Romanā* a Calendis Januarii annum inchoat.

* *Indictiones* juxta Codicem Theodosianum mox ab anno a Christo nato 312, mox 313, mox 315 computantur: primam Gothofredus *Italianam*, secundam *Orientalē*, tertiam *Africanā* *Diaceſī* propriam nominat; quibus addidit quartam videlicet *Proconsularem Africā* ab anno 314. exorsam.

§. 146. Nullum diploma teste Joachim. reperitur, in quo non annus Regiminis sit adnotatus. Germanis, qui ex supra jam dictis ante coronationem se Reges duntaxat adpellasse cognoscuntur, familiare est, ante hanc coronationem annos duntaxat Regni, post eam vero simul Imperii in diplomatis indicare. Sic Otto M. ante hanc coronationem subseribi fecit: *Anno Domini Ottonis serenissimi Regis VI.* Post eam vero: *Anno Regui Domini Ottonis XXXI. Imperii vero V.* Speciale de hoc Ottone est, quod post adsumptum in Collegam Imperii filium suum, etiam annos Regni & Imperii illius numeret. Carolingici Regiminis sui annos

nos

nos non a die obitus antecessoris, sed ab eo suscep-
 to computabant; contrarium fecere Germani. Impera-
 tores salici Regimini viventibus adhuc parentibus suis
 admoti, hanc electionem *ordinationem* dixerunt, ejusque,
 sicut Regni, Imperiive per se solos administrati quan-
 doque annos numeravere. Exemplo sit diploma Hen-
 rici III apud Meichelbeck T. I. Hist. Frising., quod
 ita habet. *Data Indict. VII. Anno Dominicæ incarna-
 tionis 1038. Anno Dominicæ Henrici III. Ordinat. XII.*
regni vero I. Simile exemplum occurrit apud Hondi-
 um T. II. Metrop. salish. Conradus III. & ejus suc-
 cessores porro abstinuerunt. Specialiorem adhuc Im-
 peratores quidam Chronologiam adhibuerunt. Sic Otto
 III. annos ob occiso Consule Romano Crescentio com-
 putabat: *Data III. Cal. Maii, an. dominicæ incarna-
 tionis 998. indictione XI. anno tertii Ottonis regnantis XV.*
Imperii III. Actum Romæ, quando Crescentius decollatus
suspensus fuit. Henricus V. post Concordata cum Ca-
 listo II. inita sic subscripsit: *Data Anno Dominicæ in-
 carnationis MCXIII. Indict. XIII. apud Louissen,* quan-
 do Dominus Imperator annulum & baculum remisit duran-
 te adhuc eo anno. Sic Fridericus I excidii Mediolanen-
 sis, item Coronationis suæ Arelati factæ annos Chro-
 nologiæ adtexuit. Sic imperatores posteriores etiam
 de annis suscepti in Regnis hæreditariis regiminis me-

mine.



minerunt, quem morem præsertim Austriaci secuti sunt.

* De Annis regni & Imperii separata mentio interdum omissa, & confusa sunt utraque. Immo interdum menses quosdam neglexerunt, aut etiam pro integro numerarunt anno. Testis est Papeprochius in Propylæo Antiquit. P. I. §. 46, cuius verba hic adponere juvat: „Extra controversiam est, *inquit*, quod passim omnes tam Reges, quam Pontifices & Episcopi a die suæ evectionis communiter numerarint, uti etiam nunc numerant, annos Regni; Pontificatus ac Sedis suæ, nulla habita ratione anni Civilis vel Ecclesiastici suum seorsim principium habentis: & sicuti diei illius tanquam natalis sui annuam lætitiam celebrabant, & Romani Pontifices etiam nunc celebrant gratulatione publica, ita in eo mutasse, ac mutare numerum anni publicis actibus inscribendi. Quid igitur Carolus? Dico, eundem morem ipsum tenuisse, & annos regni ab autumno in autumnum, quamdiu solum Regis titulum gesit. At vero quum in natali Domini Kal. Januar. A. DCCCXI, præcedente Imperator Romæ coronatus ac salutatus esset, nobiliorem jam natalem natus; quem deinceps teneret, ut is cum annis Imperii, quorum tunc primum auspicabatur, pari progrederetur passu, & solum semel in uno quoque anno communis formula notarialis mutaretur, tres menses ex A. XXXIII. Regni jam decursos, & eatenus notatos dimisit pro anno integro, & annum Regni XXXIV. cum anno I. Imperii conjunxit. Idem quin fecerint, quotquot annos Regni pridem numerari ceptos, post acceptam Imperii coronam novo illi annorum numerandorum initio conformari debuerunt, nequaquam dubito; sed non vacat omnia singulorum percurrere diplonata, ut ex iis hæc veritas comprobetur. Pro omnibus sit Otto primus. Hic anno Christi 936. eunte Junio heres & Rex coram omni populo declaratus a patre mortem instantem præveniente.

In

In Diplomatis apud Zyllesum A. DCCCCXL tertio Nonas Junii, & A. DCCCXLIII. Cal. Febr. annos regni sui numerat IV & VII tanquam adhuc durantes usque ad finem Junii. In eo autem quod apud eundum Zyllesum legitur, Datum Veronæ III. Cal. April. An. DCCCCLXX. quando adhuc currere debebat annus Regni XXXIV. numerat annum XXXV. scilicet sub initium Anni DCCCLXII. Romæ coronatus Imperator, exindeque annum incipiens, annum Imperii primum nominare, abrupto Regni anno XXVI. qui solum dimidiis effluxerat, incipit numerare annum XXVII., ut esset idem initium annorum Regni & Imperii, & sic cum anno Regni XXXV. conjungitur annum Imperii nonus.^{**} Inde Abbas Gotticensis sequentes regulas dedit: 1) Ex chronologia Diploma suppositum censeri nequit. 2) Idem dicendum est, si alium adsignant annum historici, etiam aquales, ac rei gestæ optime gnariz fed res prius serio ex dictis haec tenus ponderanda ac examinanda est, usque dum certi quidpiam statuatur.

** In Germanorum Regum & Cæsarum a Conrado I. ad III. Diplomatibus Chronologia ad finem usque rejecta est; sed Friderici I. ætate illa ante subscriptionem Imperatoris & Cancellarii est, qui mos etiam sub Henrico VI. Ottone IV. & Friderico II. perduravit.

*** Rarissime in Imperatorum diplomatibus Cæsaris titulus usurpatur.

§. 147. Distinguenda etiam in diplomatis vocabula sunt *Datum* & *Actum*, in singulis ferme conspicua. *Actum* denotat tempus, quo res Regi aut Imperatori proposita, & ab eo ratihabita fuit. *Datum* indicat diem, qua diploma expeditum fuit. Ad primum ipsius Regis aut Imperatoris præsentiam fuisse requisitam, in

aprico est; ad Datum vero eum abesse potuisse inde patet, qui a ex more etiam hodierno Principes saepius absunt, quando concessarum rerum, aut causarum diremptarum diplomata expedientur. Quare caveas, diploma falsitatis arguere, si diversa fuerint Acti, Dative tempora adsignata. Ceterum, ut inquit *Heumann. in comment. de re diplom. c. 1.*, satius est, Datum & Actum ad idem tempus, ad eundemque locum referri, nisi diversi dies adjecti sunt, cuiusmodi exemplum expromit Mabillon. L. II. c. 26. §. 10. Quapropter hoc remedium distinctionis Dati & Acti chartis sanandis cautijs adhibendum videtur.

* Usus vocabuli *Datum* inde enatus videtur, quod delatores mandatorum ab Imperatoribus in Provincias ablegatorum diem consignaverint, qua Magistratui ibidem constituto tradiderint ea.

** Non una fuit dati adponendi consuetudo. Apud Merovingicos in prima, adeoque ipsa Regum persona, apud Carolingicos in tertia, ac proinde Cancellarioram persona positum occurrit; qui ultimi prexter *Datum* cum prioribus commune etiam *Acti* adpositionem introduxerunt, Germanosque Reges ac Imperatores ad Rudolphii I. obitum usque imitatores habuere.

*** Numeri sic dicti Arabici nusquam in contextu aut fine cujusdam diplomaticis reperiuntur. Quodsi proinde in diplomatice quoddam offendes eos, illudque de cetero criminis sustineat, apographum esse debet, hique numeri tabellarii manu sunt adjecti.

§. 148. In fine diplomatum etiam recurrit adnotatio loci, in quo diploma confectum fuit. Ex paragrapho autem præcedente jam satis constat, diploma non statim pro spurio habendum esse; quando dari seu expediri illud contigit in loco, ubi tum aut non fuit, aut esse etiam non potuit Imperator; si alia rationabilis videlicet causa subsit tempus ac locum *dati & acti* distinguendi.

§. 149. Ultimum quod in diplomatis occurrit est iterata divini nominis invocatio. Volebant scilicet summi Imperatores finem exordio conformem esse in suis chartis; mos hic usque ad Fridericum I. perduravit, qui hac invocatione interdum finire solebat; reliqui vero Imperatores a finali invocatione abstinuerunt. Formulæ plerumque sequentes fuere: *in Dei, Christi nomine, in Deo, in Domino amen vel feliciter amen.*

* Hæc Candidato Philosopho pro initii diplomaticis sufficiant: habebit inde, quod filium præbeat ad studium hocce nobilissimum æstimandum, & ex operibus vastioribus satis multis per tractationem ipsam adlegatis uberiorius perficiendum. Ex Compendiis egregiam præstabunt operam Clarissimi J. Christoph. Gatterer. Elementa artis diplomaticæ universalis, Franc. Xav. Mannhart. Biblioth. domest. T. 4. J. Frideric Joachim. Einleitung zur deutschen Diplomatik Et Clarissimi Collegæ Schwab, qui omnibus utiliter usus est, introductio in reu diplomaticam.



** Non exiguum rei diplomaticæ lucem adfundit
Numismatics studium, & solida inde notitia hausta: intel-
liget inde Diplomatices studiosus valorem ac pretium do-
nationum subinde factarum, uti & multæ pecuniarie in trans-
gressores sæpius statuta. Ast præfixi nobis limites pertra-
ctare eam modo non sinunt. Et nisi, quod tamen speran-
dum videtur, lectiones huic studio speciales consecrentur,
dabitur occasio, coram ea supplendi, quæ jam omittenda sunt.

ARTICULUS IV.

De certitudine ex auctoritate.

§. 150.

Conformiter iis, quæ supra §. 65. in divisione au-
toritatis diximus, quærendum in primis est, quam
homines nos certitudinem ex auctoritate divina habe-
mus. Facili plerumque ratiocinio rem expeditam arbi-
trantur, quum ajunt: *Motiva fidei, seu credibilitatis sunt
criteria, ex quibus constat testem vera proferre, seu sunt
rationes, ob quas alicujus testimonio fides est habenda, &
quo plures, aut graviores sunt ejusmodi rationes, eo major
adest certitudo.* Motiva ista ex §§. 65 & 103. esse scien-
tiam testis, ejusque probitatem, constat: quum ergo in Deo
sit scientia summa & summa probitas, motiva fidei adsunt
summa, summam certitudinem pariunt. Vera quidem hæc
omnia, si de ipsius Dei locutione constiterit prius; ast
quænam sunt criteria, unde constet 1) Deum re vera

locu-

locutum esse 2) quænam sint verba ipsius 3) qui genuinus sit verborum istorum sensus? Horum trium enim siquod ignoretur; frustranea erit omnis de auctoritate divina quæstio.

§. 151. In moderna Providentia duo distinguenda sunt, quando disquirendum est, num Deus locutus sit; vel enim queritur, an tali homini, qui dogma aliquod, aut factum a Deo ipso immediate sibi revelatum esse adserit, re vera locutum esse Deum, credendum sit; vel quæstio est, num Deus unquam, sanctis hominibus, Prophetis, Apostolis &c. locutus sit: & num ea, quæ in sacra scriptura pro Dei ipsius verbis venditantur, non sint fablestæ fidei, supposititia. Ad utramque quæstionem decidendam ratione opus est perspicaci, nequid minus, aut nimius adseratur. Ac primam quidem discussurus, si de dogmate queritur, ad sequentia mentem sedulo advertat. 1) Num dogma ejusmodi, quod a Deo revelatum adseritur, in vero suo sensu a proferente adfirmato, & rationi sanæ conformi nihil in se contineat, quod dogmatibus aliis in ipsa fana ratione fundatis, aut ex revelatione jam certa notis adversetur. Si contineat aliquid, quod vel sanæ rationi repugnet, vel veritatibus ex revelatione aliunde certa sufficienter cognitis adversetur; pro certo tenen-



dum est, locutionem Dei prætensam esse nullam. Quæ enim sanæ rationi re vera adversantur, ea si vera forent; contradictoria simul subsistere possent; quod quum esse nequeat; falsa sunt in se ipsis. Deo autem summe intelligenti falsa non possunt esse ignota: neque summe verax, quæ pro falsis cognoscit, pro veris revealare potest. Ex eadem ratione etiam patet, quodsi pugnantia contineat ejusmodi dogma prætensem cum veritatibus ex certa revelatione jam sufficienter cognitis, illud esse hominis malitiose nugatorii figmentum. Deus enim contradicere sibi nequit, utpote æterna veritas; adeoque nec revelare revelatis contraria, (a)

Si vero dogma ejusmodi nec sanæ rationi contradicat, nec repugnet veritatibus ex certa revelatione certis; dispiciendum est, num ex Principiis ex sola ratione facile cognoscibilibus haud difficulter deduci potuerit, aut num corollarium sit ex aliis revelatis vel sponte fluens, vel levi opera eruendum. Hoc si fuerit; examinanda est hominis revelationem adfirmantis ingeni, rationisque vis: si inde concludi potest, eum rationis ope detegere potuisse dogma ejusmodi, & alia rerum adjuncta non accesserint contrarium evincentia; concludendum omnino est, hominem ejusmodi thrasonem esse frivolum. Adjuncta autem ejusmodi forent

proba-

probata hominis sanctitas, candida perspectaque sinceritas, aut miraculum forte in testimonium ejusmodi veritatis perpetratum. (b)

Si autem abstrusioris fuerit indaginis, & adserens sibi revelatum esse, homo fuerit meditando non adsuetus, nec par; vel ab hominum testimonio habuerit, vel casu detexerit ex notionibus confuse cognitis, vel instinctu quodam naturali impulsus fuerit; vel si accesserint adjuncta prius recensita; revelatum illud esse, credi potest. Si homo ceteroquin sit sagax, & investigandis veritatibus reconditis exercitatus; major erit difficultas pronuntiandi quidpiam, praesertim si de summa alioquin sinceritate ipsius constiterit, Accedente in confirmationem miraculo res extra controversiam foret.

De facto si quæstio est; distingui debet inter factum *præteritum*, *præsens* loco longe *dissito* perpetratum, & inter *præteritum*. Præteritum si fuerit, aut præsenti quidem tempore, ast in loco procul dissito gestum; res tota eo redit, an adfirmans tale factum contigisse non proferat *aduvata*, vel quoad substantiam facti vel illius adjuncta: an convincere possit contradicentes, illud revera contigisse: an illius notitiam non aliunde habeat, nec habere potuerit: an factum tale sit, quod aut ad illustrandam Dei gloriam, aut promovendam ho-



minum felicitatem, tum emendando mores, tum intelle-
ctum perficiendo, conferre multum possit: Singula si fue-
rint, revelationi annuendum est: aliqua si defuerint, pro
revelatione positive pronuntiandum haud esse, censeo.

Si factum aliquod futurum prædixerit; examina
prius ipsam adserentis indolem, mores, adjuncta supe-
rius recensita: hæc omnia si conspirent, factumque fu-
turum tale sit, ut Deo revelante dignum deprehenda-
tur: si ex multiplicatis experienciis uniformibus proba-
biliter conjicere illud proferens non potuerit: prælum-
ptionem sibi jam faventem habet; & si eventus prædi-
ctis respondeat: res nulli obnoxia dubio manet.

Si de ipsa sacra scriptura quæstio est, seu si quæri-
tur, utrum Deus unquam locutus sit hominibus, utrum
libri illi, in quibus revelata ab eo contineri adseruntur,
re vera contineant, nec ne; quæstio est, forum præci-
pue theologicum respiciens; ast ex philosophicis tamen
decidenda rationibus, quæ in *theologia* partim *naturali*,
partim in *Ethica* uberiorius traduntur; reducuntur autem
breviter ad sequentia. 1.) Revelationis necessitatem.
2.) Doctrinæ in libris istis adsignatae simplicitatem, Ma-
jestatem, Sanctitatem. 3.) Vaticiniorum eventu ipso
comprobatorum certitudinem. 4.) Auctorum hos li-
bros conscribentium candorem, vitæque conditionem

a fin-

a fingendi fraude, immo suspicione alienissimam. 5.) Consensum doctissimorum per tot secula hominum. 6.) Invictam S. S. Martyrum doctrinæ veritatem suo sanguine obsignantium magnanimitatem. 7.) In historiis cum aliis Scriptoribus harmoniam. 8.) Miracula frequentissima in veritatis testimonium perpetrata. 9.) Et pro Catholicis denique universalis Ecclesiae consensum.

a) Pugnantia igitur loquitur Baylus, quum quedam religionis dogmata a Deo revelata contra fanam rationem, ipsamque evidentiam pugnare adserit. Ut etiam Religioni male consulunt ii, qui temere fatentur, Religionis christianæ dogmata cum hominum ratione, utpote limitata, debili, corrupta pugnare. Confundunt enim falsas ex precipitatione & variis cupiditatibus ratiocinationes cum ipsa ratione, vel rationis usu & lumine; quod in errorem inducere si posset; certum nihil atque compertum haberetur. Quare nunquam fides sic extollenda est, humanaque ratio deprimenda, ut hæc erroris arguatur. Quum enim erramus rationis defectu; non ipsa ratione, quamvis limitata, erramus; nec stricte loquendo corrupta ratio dicenda est, eo quod cupiditatibus contra rationis dictata sæpe ad iudicandum impellimur.

* Multa in rebus tum intra, tum extra nos positis deprehenduntur, quæ humanæ intelligentiæ vim longe superant. Sic plantarum, metallorum, ignis, aquæ &c. essentiæ, intimæque constitutiones: Sic multorum, quos cernimus, effectuum e. g. magnetis, fulminis, electri &c. Causa ignotæ nobis sunt. Sic demonstramus, mentes humanas & corpora esse ex nihilo producta; quin capiamus, quomodo nihil res positiva & substantialis fieri possit. In-



tellectus vero divinus infinite perfectus cognoscit ~~actu~~
omnia cognoscibilia. Quum igitur ex antea ostensis intel-
lectus noster etiam in naturalibus valde limitatus sit; quid-
ni Deus cognoscere possit veritates supra omnem humanum
captum altiores, easque hominibus revelare. Non ergo per
superius dicta divinorum mysteriorum, quum tantum *supra*
& non *contra* rationem humanam sunt, revelationi deroga-
vimus.

b) Quum Deus sit æterna veritas & sanctitas miracu-
lum nullum in testimonium falsitatis patrare potest. Ne-
que sapientissimus sine ratione sufficiente, aut Majestate
sua digna ea efficit.

Scholion. Quisnam genuinus verborum s. scripturæ
fensus sit, regulæ hermeneutices supra datae, cum iis, quas
suppeditant S. S. Bibliorum interpres, junctæ, satis ex-
pediunt.

§. 152. De certitudine ex auctoritate humana
jam agendum est: Communiter eam Philosophi in tri-
plicem dividunt. Quando omnes fere homines testimo-
nio suo factum aliquod confirmant; eam esse in gradu
supremo: Quando plures fide digni de re quæpiam testi-
monium dicunt; *in gradu medio*: Quando pauci tantum
siique subin conditionibus requisitis non extra omnem
omnino exceptionem prædicti aliquid adtestantur; *aucto-
ritatem enasci in gradu infimo* dicunt. Quam qualibet
harum certitudinem pariat, nunc examinandum est.

§. 153. Antequam autem ad Ipecialem disquisitio-
nem progrediamur; Veritas quædam generalis praestruc-
enda

enda videtur. Quilibet nostrum ex sensu intimo experitatur, se inclinatione quadam constante, uniformi propendere ad verum dicendum; nisi spes lucri cuiusdam acquirendi, aut damni imminentis metus, aut alius quidam inordinatus affectus in contrarium rapuerit. Illa igitur ad verum dicendum propensio naturalis est. Argumento in eundem sensum intimum reflexo sic facile ratiocinamur & recte: Alii homines eadem, qua ego, natura gaudent; iisdem propterea inclinationibus naturalibus, quum natura in omnibus hominibus eadem sit, praediti esse debent: sed intime sentio, me, nisi spes lucri, aut damni metus, aut alius inordinatus affectus obstiterit, semper inclinari, ad verum dicendum, ergo alii eodem modo inclinari debent. Regula igitur isthac generalis est: *Omnes homines naturaliter inclinantur ad verum dicendum; nisi spes lucri, aut damni metus, aut alius affectus inordinatus obstiterit.* Hanc universalem in omnibus hominibus ad verum dicendum propensionem, *mores hominum*, aut *moralem rectitudinem* vocant Philosophi. Et sane, si hæc abesset, non posset non error quidam in ipsum naturæ auctorem Deum redundare, quippe qui procreasset, eam ad falsum, deceptions, errores, illusiones per se proclivem, neque dedisset medium practice sufficiens ad veritates illas cognoscendas, quas tamen cognoscere hominum permanenti

gni



gni interest, quæve aliunde, quam ex aliorum testimonio cognosci nequeunt. Unde enim e. g. cognoscam, vixisse aliquando Jerosolymis hominem, qui dicebatur Jesus, illum tot & tanta omnes creaturæ sibi relictæ vires excedentia miracula perpetrasse, has vel illas veritates revelasse, &c.? Adde, leges divinas positivas & humanas omnes esse facta, quæ non nisi hominum testimonio ad nos perveniunt: pone igitur nunquam dari inclinationem in hominibus naturalem ad verum dicendum, in iis ergo omnibus mendacia timenda, securitas nulla foret: quæ inde perturbatio, confusio in republica oriretur? nonne sic pessime constitutum foret genus humanum?

§. 154. Hisce præsuppositis facile demonstrari potest sequens propositio: *Auctoritas humana in gradu supremo certitudinam gignit moraliter summam*, seu quod idem est: Testimonium hominum moraliter omnium non potest non esse summe certum. Sic enim arguo: Ex antea dictis certissima est hæc regula: Omnes homines naturaliter inclinantur ad verum dicendum: & tantum mendacium timeri potest, quando illorum testimonio aut lucri spes captandi, aut damni imminentis metus, aut alius affectus inordinatus subesse potuit. Verum impossibile prorsus est, ut omnes omnino homines institutis, moribus, studiis, affectibus, nationibus

Ius, statu, nendacio connum avertere. Ius sedici poli, omnes omnia iunctu agitur. Ita quoque in genitum firmillimum de defectu in natura hominum cedente di-

Sedatione, universali adiuvante, secunda sit. E primam, secundam, existimare et, rationibus divinis, illo in cau- litate, secundum, ratione de fidei et honestatis, in hac vita ratione habere dignatio, in quantum perducere, scol-

§. 155. Iam haucen-

nibus, ætate, temporibus adeo diversi ex uno aliquo mendacio commodum sperare, lucrum adquirere, dannum avertere, affectibus inordinatis & præternaturabilis adfici possint. Proinde pariter impossibile est, ut omnes omnino homines in idem mendacium conspirent. Quando igitur omnes omnino moraliter homines de facto quopiam testantur, testimonium hoc certitudinem gignit firmissimam. Adde Confirmationis loco ea, quæ de defectu in Deum ipsum naturæ auctorem cadente, de natura humana pessime alias constituta paragrapho præcedente dicta sunt.

Scholion. Quæritur a multis, num certitudo isthæc ex universali adeo testimonio *metaphysica*, num *physicae* suppur dicenda sit. Et in duas partes se dividunt auctores, altera primam, secundam altera adfirmante sententiam. Ego vero existimem ea, ex quorum opposito aliquis in ipsis perfectionibus divinis defectus consequeretur, ita esse certa, ut nullo in casu fallere possint: quare in proposita quæstione sic statuendum puto: Si testimonium omnium moraliter hominum de facto ejusmodi procedat, quod quamdam ad mores hominum, vitæ honestatem, aut universalis felicitatis sive in hac vita inchoata, sive in altera consummatæ nexum relationem habet, illud ita certum esse, ut nulla falsitatis suspicio unquam timeri possit. Confer huc dicta §. 89. præsertim Schol. I.

§. 155. Circa auctoritatem in gradu medio spestatam statuendum videtur, quod illa certitudinem gnat,



gnat, quam scholæ *moralēm* vocant, h. e. talem, quæ absolute quidem fallere possit, qua tamen præsente prudens erroris aut falsitatis fulpicio adesse nequit. Quodsi enim testes plures fide digni adfuerint, de testimonii veritate tantum dubitare is poterit, qui nescit, quam diversa sint hominum studia, affectiones, commodi, dampnive rationes, ob quæ fieri vix potest, ut, plures in idem mendacium conspirent.

Scholion. Advertendum tamen est, quod integræ communites, Reipublicæ contra alias de facto quopiam testantes neutquam ut plures, sed ut una tantum moraliter persona, spectari possint, adeoque de iis in præsenti paragraplio nullam esse questionem. Ceterum nec reliqua hic testium dotes aderunt; quum ex supposito de damno vitando, ut lucro captando inter se concertent.

§. 156. De auctoritate tandem in gradu infimo pronuntiandum est; circa quam ex iisdem rationibus supra allegatis, ubi de dotibus testimoniū sermo fuit, sic statuendum puto. Si testis unus, vel alter de facto quopiam testetur, & ex Canonibus supra datis certi simus, quod debita ad rem, prout debuit, considerandam scientia, ac probitate prædictus fuerit, e. g. Si testimonium illud, quod profert ipsi nocivum, lucro aitem ejus oppositum fuisset; testimonium ejusmodi omnem mereri fidem, existimem. Quodsi vero de utraque dote auctori tatis fundamentali non satis constiterit; neque

tamen

tamen pro opposito ratio aliqua adsit: præsumptionem saltim veritatis pariet. Ratio est prioris: Ubi fundamen-
tum fidei adeat; etiam tuto fides tribui potest: alterius:
mores ipsi hominum, ex quibus nemo præsumendus
malus est; usque dum talis esse probetur.

Scholion. Objectiones, quas passim hactenus dictis ob-
movere solent, ferme in sequentibus consistunt. Ajunt
videlicet:

1.) Quilibet, seu singulus homo de facto quopiam te-
stans, tantum probabilitatem fundat; igitur si centena etiam
millionum millia pro facto quopiam adferantur, centena
tantum millionum millia *probabilitatum* adferuntur, quæ
omnia certitudinem non adæquant; quum ultra probabilita-
tem non adsurgant: motivum ideo in quolibet testimonio
ut ut multitudine testimoniū numeroſo probable manet: mo-
tivum autem probable certitudinem fundare non potest ne
in gradu quidem minimo, multo minus in tanto, quantum
nos §. 154. adstruximus. — Verum universaliter falsum
est ex dictis §. sup. testem singulum tantum probabilitatem
fundare. Deinde quamvis etiam plerumque in teste singulo
multa nobis motiva ignota esse possint, ex quibus ad fallen-
dum pelliciatur; tamen motivum, quod adeat in tota col-
lectione omnium moraliter hominum pro ipsa veritate &
certitudine, partim ex ipsa hominum natura in studiis &
adpetitionibus suis variabili, partim ex ipsa divina sapien-
tia, sanctitate providentia supra petitum omni modam cer-
titudinem fundat: uti patet ex dictis §. 154. *Supponi profe-
ctio non potest, omnes homines simul insunire: nec omnes pos-
sunt inter se sine ullo colloquio conspirare ad unum aliquem fal-
lendum, Effectus iunumerabilis inter se connexi, quorum in*



confessione non minor est ordinatio, quam in operibus artefactis casu fortuito & sine causa existere nequeunt. Deus Religionem instituere potest ab ipso revelatam, miraculisque probatam, cuius fidem hominibus praecipiat. Principia hæc sunt omnibus certissima: atqui incerta forent hæc principia; si supponi posset; testes etiam innumerabiles, qui circa factum splendidum, maximi momenti, factisque plurimis confirmatum, deciperentur, aut deciperent, etiam quum probitatis suæ atque scientiæ argumenta proferunt indubitata:

2.) Quum verus Dei cultus unius fere Palestinae terminis contineretur, totus vix non orbis Polytheismo favit: falsissimum tamen esse hunc ipsum Polytheismum, seu plurimum Deorum existentiam, quivis sanæ mentis, modo fatetur. Nihil ergo ex aliorum testimonio, ut ut multiplicatio rei cuidam certitudinis adcedere potest.— Ast quero, num certam velint hanc Polytheismi historiam? Unde nisi ex aliorum testimonio hanc certitudinem evincere possunt? Igitur, quum negant pondus auctoritatis humanae, confirmant. Secundo. Tantus profecto non erat idololatrarum numerus, quantum isti volunt; prudentiores enim quilibet ridebant domi Deos, quos, ne viderentur Athei, sicut Socrates multique Philosophorum putabantur, damnabantur, publice colebant. Tertio. Quid quæsto in tota hac objectione auctoritatis humanae objectum est? Prater hoc ipsum, fuisse homines in his, illisve terris plurimum Deorum cultores, hos vel illos homines his, vel illis factis illustres in Deorum numerum ab humana stultitia fuisse relatos; prætereaque nihil: & de hoc nec ipsi Adversarii dubitant. Illa enim questio an re vera dentur plures Dii, ex ratione, non ex auctoritate decidenda est; quum factum non sit sub sensu cadens. Confer §. 104.

3.) Pro

3.) Pro miraculis Muhametis innumeris stat Muhametanorum exercitus, & tamen falsissima esse, nos ipsi defendimus. — Et quis non defendat? Fabulae enim istae a solo plerumque Muhamete conficte, aut si publice etiam fraudes suas patravit rudis Muhametanorum plebecula discernere inter factum ipsum, & qua sit virtute perpetratum, non valens, commodi sui studiis abrepta cæca cæcum secuta Magistrum in ejus verba juravit. Ceterum cuius auctoritatis homo fuerit Muhamet ex illius contradictionibus, & mendaciis palpabilibus patet. Sic Azoara 3. Resurrectionem mortuorum passim inculcat: Azoara vero 49, aliquibus animas reddendas esse negat. Sic de Christianis mentitur Azoara 13., quod Mariam Christi matrem pro Dea colant. Azoara 47., quod Deo filios & filias tribuant. &c. &c. Confer 9. 206. & 9. 155. in Scholio.

4.) Ficta Apollonii Tianæ miracula plures habuerunt testes: ipse Apollonius propterea ab Ephesis sub Herculio Alexiaci nomine inter Deos relatus, & ab Imperatore Alessandro illius effigies inter Deorum imagines fuit reposita: & tamen saniorum nemo negat, illa esse mera, puta mendacia — Esto, patraverit Apollonius effectus quosdam miros, sola effectuum horum existentia, & non patrandi modus ac virtus testimonii objectum est, vide dicta paulo ante. Deinde quinam testes illi plures? Philostratus forte, qui post centum ab obitu Apollonii annos haec miracula conscripsit? atqui nec hic ullius ob fabulas suas fidei est. Aut quid fidei meretur homo adserens, se ex comezo Draconis jecore animalium voces intellexisse, fabulas de dolio bino, uno ventis, altero imbribus pleno orbi pro veritatibus obtrusurus? Aut num forte Damidem, ex quo maximam partem sua deliria hausit majoris auctoritatis esse existimas? Damidem, qui confinxit, se in Caucaso vidisse canes, quibus alligatus fuisset Prom-



theus? Ceterum quis fuerit Apollonius, satis ex æqualibus patet. Ipse Euphrates Apollonio perfamiliaris cum ignorantem & perniciosum hominem vocat, quocum etiam confessit *Lucianus* in scripto *Deus omnia tristis*, & *Domitianus Imperator*, qui eundem maleficiorum causa in vincula con- jecit.

§. 157. Certitudinem diplomatum genuinorum quod attinet, ea mihi omnino invicta videtur. Ista enim publica Principum auctoritate, ea adcuratione, industria, fide, cautela, tot adhibitis subinde testibus conficiuntur: maxima semper de ipsorum custodia cura fuit; ut adeo in ipsis Ecclesiæ sacrariis, aut in grammato philaciis speciali ad hunc usum cura constructis ad servarentur, hominibus probatissimæ vitæ, morumque inculpatorum custodienda traderentur, ac ut ne hi quidem quamdam fraudis aut occasionem haberent, aut suspicionem incurrent, factum sæpiissime est, ut plures pariclae de eodem instrumento fierent, atque in diversis locis reponerentur. Aut igitur mores hominis omnino immutandi, rectitudo moralis neganda prorsus est, aut omnem ejusmodi instrumenta, quæ sanior crisis juxta dicta Articulo III. instituta pro genuinis habet, omnem omnino fidem merentur.

Corollarium. Inde etiam est, quod viri eruditii historiographos semper ex genuinis diplomaticis corrigendos putarint.

Scholion. Nec diplomatum robur infringit. 1.) membranas ejusmodi temporis longuitate exedi, consumi debuisse. — Nam ex dictis satis constat, diligentiam iis custodiendis adhibitam adversus has injurias ea valide defendisse. 2.) Archiva plurima incendiis, & hostium furore periisse. — Nam ea etiam cura semper fuit eorum custodibus, ut haec jurium suorum firmamenta & praesidia præ reliquis flammis, aut hostium furoribus eriperent. Deinde nec omnibus archivis hoc infortuninum accidit. 3.) Plurima esse diplomata spuria. — At si hoc argumentum valeret quidpiam; eodem jure sic possem arguere: Plures historici partium studiis addicti sunt; ergo omnes hoc vitio suspecti. Ideo regulæ inventæ, queis genuina a spuriis discernere valemus. Nec tantus est diplomatum falsorum numerus, ut quidam male metuunt. Ex dictis enim constat, quantæ cautelæ, industria, solennitates adhibitæ fuerint, seculis autem istis, e quibus plurima diplomata proferuntur, rari erant isti, qui in iisdem ita vitiandis falsa ad genuinorum normam exacte effingendis ita fuissent versati; ut fraus ista per regulas ceiticas bene applicatas detegi non valeat.

* Consuli de auctoritate humana præter compendia in scholis usitata Ludovici Stieglitz differt. de Fide historica recte aestimanda sub presid. J. August. Ernesti defensa. Die Wahrheit in den Geschichten von Hieronymo a Loretto. Dalban. de ratione recte cogitandi. Anton. Genuensis Ars Logicocritica, vel si duo ultimi defuerint, Cl. Antonii Schmidt. Disquis. Phiosophico-critica de auctoritate humana.



C A P V T . V.

De sensu naturae communis.

S. 158.

Non omnium rerum cognitionem immediato intuitu distinctam adquirere possumus; quia aut sunt abstrusiores, aut aliunde, quam per auctoritatem, seu aliorum testimonium cognosci nequeunt: neque rerum omnium per experientiam sensuum cognitionem obtinemus; quampluram plura sint, quæ vel ob distantiam, vel alias ob causas, et si sensilia sint, in sensus agere nequeunt; & plura etiam dentur insensilia, ac propterea omnis in organa sensuum actionis incapacia. Arctissima igitur foret intellectus humani cognitio, nisi Deus aliud medium suppeditasset, tum ad veritates abstractas intellectui non distinctas, tum ad sensibiles quidem, ast non præsentes, sed futuras certo cognoscendas. Suppeditavit autem æque, ac sensuum externorum arque interni experientia, & aliorum testimonium est, certum ad illas veritates dignoscendas criterium. Est illud *sensus naturæ communis*, seu inclinatio animi omnibus hominibus a natura indita, ad adserendas quasdam veritates, quas nec distincto intuitu mediate vel immediate, nec sensatione aliqua externa, nec ab ipso aliorum testimonio cognoscimus. Distinguitur hic sensus communis ab instinctu naturæ, sicut species a suo genere. In-

stia-

Sinētus enim est impulsus naturæ tam ad actus intellectus, quam ad actus appetitus stimulans; quum sensus naturæ communis tantum actus intellectus respiciat. 2.) A persuasionibus naturalibus, tanquam potentia a suo actu; Persuasiones enim ejusmodi naturales sunt judicia huic naturali inclinationi conformia pro veris habita. 3.) A sensu vulgi, seu sinistris de re quapiam sensibus subjecta, aut ad mores non pertinente, ex præconceptis opinionibus Judiciis. 4.) Opinionibus Doctorum utut communibus, quia istæ sunt sententiæ ex certis principiis sive veris, sive falsis deductæ.

Corollarium. Quum sensus naturæ communis sit inclinatio naturalis; natura autem in omnibus hominibus sit eadem: patet, inclinationem eam esse constantem, uniformem, universalem, ineluctabilem; non quidem, quod nullus huic inclinationi contravenire possit: sed quod contraveniendo etiam, & aliter judicando, aut agendo, semper tamen illam inclinationem ad contrarium in se propendentem in se persentifcat. Unde probandi ii non funt, qui ipsa sensus naturæ judicia congenita esse adserunt, nisi cum Cl. Agricola in sensu communi philosophice examinato hanc sententiam admodum moderentur.

§. 159. Objecta sensus naturæ communis sunt vel veritates ad vitæ morumque honestatem collimantes, adeoque morales; vel physicae, quatenus videlicet inclinamus ex certis ac multiplicatis experienciis, in iisdem rerum adjunctis, ad similes eventus concludendos.



§. 160. Dari in nobis inclinationem naturalem ad adserendas quasdam veritates, quæ morum & honestatis fundamenta sint, sequentibus convincimur: Inest in mentibus nostris sensus quidam justi & iniqui, & inclinatio quædam nobis congenita, qua certas actiones adprobamus, certas damnamus, quin rationem sufficientem hujus vel adprobationis, vel damnationis inspiciamus: inclinamur etiam data quacunque occasione ad formanda judicia propensioni ejusmodi conformia. Taliæ judicia sunt: *Existit Deus: cultu aliquo Majestati suæ debito colendus: Vindex malorum, renumerator bonorum est: anima hominis in suis actionibus libera est: nemo est lèden-dus: suum cuique tribuendum: fides servanda: Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris &c.* Nos inclinari naturaliter ad ejusmodi judicia patet ex ipso cuiusvis sensu intimo, unde etiam argumento reflexo ad alios quosvis concludere potest: Confirmant hanc reflectionem experientiæ, historiæ populorum, ex quibus patefit, malos tacita scelerum suorum conscientia cruciari: vel ipsam, quam non habent, virtutem in aliis laudare, rubore suffundi, quando ipsis objiciuntur flagitia: irasci iis, quos eorundem in publicum proditores arbitrantur: excusare illorum enormitatem: contra bonos lætari in virtutis cultu, benefactis: rudissimos etiam sine lege, & Rege populos in generalissimis morum, honestatisque

re-

regulis, quas nullo distincto intratu cognoverunt, nulla educatione, aut institutione hauserunt, conspirare. Per sensis hisce omnibus & definitione superius de sensu naturæ communi data palam erit, dari in nobis inclinationem naturalem ad adserendas quasdam veritates, que vita, morumque honestatis fundamenta sint. Conferatur ad dictorum illustrationem. *Franc. Hutchesonii Sittenlehre der Vernunft I. B. 1. B. 4. A.* Von dem moralischen Gefühle, oder der Fähigkeit, die moralische Vortrefflichkeit zu empfinden. Adde: ipsa naturæ humana in cognoscendo imbecillitas, veritatum ejusmodi ad tranquille in hoc & altero seculo vivendum necessaria cognitio, ipsa Dei infinita Providentia, Sapientia, Benevolentia etiam in operationibus transeuntibus hanc sensus naturæ communis existentiam fortissime evincunt.

Scholion. Inclinatio hæc ad præstandum generalibus istis morum veritatibus adsensum non tamen sine omni rationis sufficientis cognitione est. Alias enim, quomodo ejusmodi judicia ab innatis distinguerentur, prorsus non viderem. Principia, ex quibus veritas fluit, confuse saltim cum Consecutione intuemur, & ille ipse intuitus confusus ratio est ipsis propensionis ad veritates illas inde adfirmandas inclinantis. Dictorum veritatem perspicet optime, qui perpendere, quid agent veritates istas olim sensu naturæ communi cognitas demonstratur: profecto aliud nihil, ac evolvunt ideas prius confusas in distinctas. Si propositus sensus naturæ communis defendi a Philosopho adhuc potest, nec feriunt eum argumenta & diateria, de quibus paulo inferius.



§. 161. Præter inclinationem naturalem ad judicia, morum honestatisque fundamenta, efformanda, iisque adsentendum, etiam propensio datur in nobis pariter naturalis, ad judicia ex præteritis uniformibus multiplicatis experientiis inde a teneris annis de futuris naturæ similibus factis, in similibus rerum adjunctis formanda. Sic quum sæpius vidimus, condensatis nubibus, & nullo dissipatis vento pluviam secutam, iisdem circumstantiis redeuntibus pluviam futuram pariter arguimus: Sic experientia edocti stupram igni applicatam aduri, gravia non sustentata fulcro centrum terræ petere, in similibus adjunctis similes proflus eventus exspectamus. Hæc vero judicia nequie habentur a distinto ipsius rerum essentiæ, agendi patiendive virium intuitum, ex quibus cognitis rationem sufficientem ipsarum mutationum, illarum ex se se consequendarum modi rationem reddere valeamus. Essentiæ enim rerum, ipsarumque vires immediate a nobis inspici nequeunt. Adde si ejusmodi ad hæc judicia formanda propensio a distinto intuitu procederet, cur non in primo aut altero casu? Cur non experientiis ejusmodi sæpius variantibus eadem judicia formamus, eaque pro certis habemus? Solæ igitur multiplicatae experientiæ, constanter uniformes ratio sunt, cur inclinemur sine ulla hesitatione ad similis eventus ob similes circumstantias con-

clu-

cludendos. Nec plus in singulis experientiis cognolco, quam casus particulares, argumentari autem a particuliari ad particulare legitime nequeo; non igitur ratiocinio futurum eventum similem ex præteritis particularibus eruere possum. Nec ab institutione aut educatione provenire isthac judicandi confidentia potest. Libere provoco, proferatur mihi homo in patria æde, privatos tantum inter parietes educatus, instructorem nanciscatur de cetero ut doctum, sic diligentem, explicit iste, quantum voluerit, e. g. pecudum ingrauente tempestate in unum globum concursus, effectum electri in experientia Leidensi, &c. non tamen ostendat, ut ocalis usurpare possit: Veniat postmodum fortuito in occasione, ubi singula disposita sint, ad eosdem prædictos sibi eventus futuros; quæret iste primum, an singula, prout requisiverit instructor ad dictos eventus comparata sint; & hoc etiam affirmante necdum tamen eventum concludet: quæstionem instaurabit, aut expectabit eventum, ad quem si etiam altera vice recurrent eadem circumstantiæ, aut non sentiet ullam pro eo certe expectando inclinationem; aut si senserit aliquam, multum differre videbit ab ea, quam ex multiplicatis experientiis ad similes concludendi eventus, in se persentis, propensione. Accedit, quod institutiones diversissimæ sunt in toto terrarum orbe, nec tradi omnia per educa-



tionem valeant naturæ phænomena. Ipsam rursus pro rei haec tenus dictæ veritate conscientiam intimam susfragari existimem. Quare propositio nostra salva est.

Corollarium. Ista igitur inclinatio in mera habitudine mentis consistit, ex actibus præteritis nata.

§. 162. Quamvis sensus naturæ communis criterium sit multo obscurius immediato aut mediato in rem ipsam intuitu, ipsisque, de quibus fertur, ideis intrinsecum; tamen circa veritates, quæ morum, honestatisque sunt fundamenta, certitudinem parit omnino absolutam, nulloque in casu fallibilem. Quodsi enim fallibile ejusmodi criterium foret; error quidam in ipsa mentis substantia inesset, utpote cui inclinatio ad ejusmodi judicia formanda naturalis est: ac proinde ille ipse error in naturæ auctorem Deum redundaret; qui in rebus summi momenti mancam condidisset naturam humanam, quod cogitari a nemine, multo minus sustineri potest.

§. 163. Quum pariter hæc ipsa naturalis de futuri eventibus judicandi secundum præteritas experientias habitudo unicum sit omnis providentiae futuri & prudentiae medium, summe necessarium ac utile omnibus hominibus: cujus solius ope se præservare a noxiis, vitam ipsam & ejus tranquillitatem interturbaturis: con-

tra

tra vero bonum omne sibi profuturum procurare valeat homo; Deus vero infinite benevolus ac profidus sit erga gens humanum: inclinatio ejusmodi frustrante esse nequit: ad malum, falsam, universaliter saltim, immo nec sine ratione sufficiente, & ipsis hominibus cognoscibili in casu particulari erroris occasio esse potest.

Scholion. Objectiones plerumque hæ contra haec tenus adferta moyentur.

a.) Ejusmodi inclinatio *naturalis* singitur omnino: aut enim ista in moralibus præsertim veritatibus judicandi præclivitas ex immediata quadam Dei ipsius revelatione oritur: b.) aut institutio radix est illius: c.) aut ipsa cognitionum successive adquisitarum series tanquam Principium quoddam universale considerari debet, ex quo veritates, quæ ex ipso communi naturæ sensu provenire putantur, nobis etiam non advertentibus profluant. *Rer. oīdēo* a) Pauperis profecto Philosophi est, in omnibus, quæ etiam naturaliter explicari possunt, statim ad Deum ipsum refugere. Verum esto revelat singulis instantibus ejusmodi judicia Deus: an propterea minus certa erant? Ex dictis de auctoritate divina, ejusque certitudine art. 4. Cap. IV. profecto fatis liquet, ejusmodi judicia ex supposito, ea immediate esse revelata, nihilominus certissima esse debere. Deinde nonne superflua foret ista revelatio; quum ipsa vis cognoscendi etiam confusa dictæ inclinationi juncta sufficiat, ut homo vitæ morumque honestatem sic certo cognitam sectetur? Certe ubi generalis providentia sufficit, cur specialem desideremus? b.) Multam quidem, & occultam institutioni vim inesse, non negaverim; quin alimenta, quibus fruimur: parentum, quibus nascimur, indolem: ipsam cœli, sub quo nascimur, aut habitamus, tem-



periem: hominum, quibuscum versamur, consortium: negotiorum, quibus occupamur, naturam, sicut nexus habent arctissimum cum ipsa hominis constitutione ac indole, sic una cum institutione influere plurimum in nostra de rebus moralibus judicia, ultro fatebor: addo vim horum simul sumptorum ita esse subinde abstrusam, ut multa meditatione, observatione studiosa opus sit, ad secernendum adcurate, quemam in rebus moralibus judicia ex hisce fontibus, quam vero ex naturali ista inclinatione seu justi, honestique sensu supra adfirmato proveniant. Ceterum, si pareutes sunt, qui iis liberos suos principiis imbuant, quero cum Cl. Agricola l.c. An omnes, an vero aliqui tantum parentes filios suos hisce principiis imbuant? Si aliqui tantum; cur liberi omnes rationis usum adepti ad ea propendent? Si omnes; an non hoc ipsum persuadere cuivis debet, esse præter educationem aliquid, quod omnes per orbem parentes cogat, ut in unam eandemque, posteros educandi rationem conspirent? Qua enim alias ratione fiat, ut homines moribus, propensionibus, institutionibus, studiis, climate, temperamento tam inter se se dissimiles, in hoc tamen citra omnem deliberationem consultationemque convenient omnes, ut iisdem liberos suos principiis imbuant, eademque morum ac honestatis fundamenta tradant? An in liberis deliberationibus, ubi suo quaque arbitrio agitur, talem unquam reperire est & tam invariatam confessionem? nunquam certe: & homines numero tam multi, tam indole varii, tam moribus diversi, in omni & loco, & tempore, & fortuna & conditione ita convenient inter se omnes, ut eadem tradant suis vitæ præcepta, & ex mero tradant arbitrio? Certe in multitudine hominum haud adeo frequenti, etiam in unum cætum, aut rempublicam conficiata, etiam ubi idem omnibus propositus est finis, eam nunquam cernere est confessionem, ubi suum quisque arbitrium

trium sequitur: Immo ubi non singuli ex multitudine ferunt suffragia, sed senatus licet non admodum copiosus electus est, solent ipsi senatorēs passim ita inter se discrepare, ut raro sine dissensione in unam omnes sententiam concedant, saepe quot ferme sunt capita, tot prodeant sententiæ diversæ. Si hæc in cætibus ordinatis, ubi in medium consulitur; si in Senatibus non admodum frequentibus; si in una eademque familia evenire soleant in rebus dubiis: fateamur necesse est, ab educatione non esse illud, in quo Princeps cum ministro, Dux cum gregario milite, Magister cum discipulo, Senator cum plebe, cum civi rusticus, cum reliquis orbis incolis Europæus, verbo: genus omne humanum per orbem universum, in tam varios cœtus distinctum, tam legibus, moribus, religione, ritibus dispar semper ac stabiliter consentiat, & sine prævia deliberatione in commune facta, & in re multis tam ardua ac molesta, quæ omnem vitæ licentiam restringit. Ego sane nisi amens sim, *pergit allegatus Auclor*, exstimo, aut insaniendum esse, aut fatendum, sensum communem, inclinationem ineluctabilem, propensionem constantem & uniformem ab educatione oriri nullatenus potuisse: præcipue si attendere velimus; educationem non unam in omnibus, sed in diversis esse longe diversissimam.

At forte in serie successiva quilibet eorum, quæ distincke cognovit, morum & honestatis fundamentorum præcepta filii suis tradidit, quæ cum tempore in eum, quem nunc statuimus ejusmodi veritatum, numerum excrevere. Mundus enim adhuc, ut ita dicam, in infantia sua constitutus nec indiguit, nec cognoscere simul potuit tantam præceptorum farraginem? — Ex sacra tamen Scriptura constat, jam in prima mundi Infancia veritates ejusmodi morales ab hominibus jam tum pro indubitate habitas fuisse, quas, ut recte



recte in objectione ipsa animadversum est, illius etatis homines necdum distincte intueri volebant. Conferatur huc Versuch einer Geschichte der Kultur des menschlichen Geschlechtes von dem Verfasser des Begriffs menschlicher Fertigkeiten und Kenntnisse. Aut igitur admittere debebis in hacum juxta te veritatum auctoribus naturalem quandam ex notionibus consulis ad illas concludendi inclinationem; aut singularum revelationem ab ipso Deo pro temporis & adjunctorum ratione factam fuisse specialem, statuas, necesse est. Ultimum quo fundamento stabilis: quam rationem sufficientem adsignabis? Erit igitur primum: Communis ergo, ut supra definiimus, naturæ sensus ex hac ipsa objectione stabilitur.

In serie successiva hominum factum fuisse, ut temporum successu modo hic, modo alijs particularem quandam ad mores rite instituendos veritatem invenerit; aut universalem etiam distincte cognoverit, vix Cornelius Agrippa, aut saltim scepticus negaverit. Ast omnes, quotquot generalibus ipsis veritatibus ad sensum hactenus praebuere, aut present etiamnum promptissimum, universalem, modo profus uniformi, omnes, inquam, eos distincte eas fuisse intuitos, affirmare duntaxat poterit, qui de artium, scientiarumque initiosis, de generis humani historia sibi nihil perspectum habuerit. Confusam harum veritatum cognitionem admitto. Cum suavi constantique nihilominus ad eas adserendas inclinatione, quam intima cuiuslibet conscientia quovis argumento fortius evincit. Conf. Goguet von dem Ursprunge der Gesze, Künste und Wissenschaften. Flögels Geschichte des menschlichen Verstandes. Hismanns Geschichte der Menschheit. c) Hæc ipsa objectionis pars jam in precedentis solutione cyanescit.

2) Forte præjudicia sunt fontes horum axiomatum moralium, sicut & putatitiae ad illa inclinationis? — Præjudicia sunt præconceptæ circa rem aliquam opiniones ejusmodi, vi quarum mens illis laborans in eam duntaxat partem intuitum conjicit, quæ sibi animum quacunque datum de causa adstrictum tenet, non visis etiam, aut faltim non ponderatis alterius partis momentis. Ejusmodi præjudicia ab auctoritate quadam proveniant, necesse est, ergo vel ab educatione, vel conversatione, vel librorum lectione: de educatione & conversatione falsitas patet ex præcedentibus; de librorum lectione etiam adipicari ea possunt, quæ de hominibus rudibus ad distincte de iis veritatibus cogitandum, adeoque etiam ad libros conscribendos ineptis diximus. Addantur hic ea, quæ ex humanitatis historia de ipsa scribendi, legendique ignorantia, inter gentes plures tamen ejusmodi generales morum veritates adfuentes constant.

3) Innata menti nostræ imbecillitas ratio forte erit hujus adsensus tam proni ad judicia isthæc morum formanda? — Mente quidem humanam imbecillum esse, fatis in dies singulos experimur; ast hanc illius imbecillitatem horruisse judiciorum rationem, persuaderi nullatenus possum. Ex imbecillitate enim mentis judiciis duntaxat falsis adsensem damus; hæc morum vero fundamenta esse verissima, certissima, Docti ad evidentiam usque demonstrant; bona proinde foret imbecillitas, quæ ad verum perdueret, optanda cuilibet. Et nonne hæc ipsa mentis nostræ imbecillitas evincit, hanc ad ejusmodi judicia ferenda inclinationem esse ab ipso naturæ auctore Deo?

4) Plures fabulæ jam majori hominum parti persuaserunt: sic a) Polytheismus totum fere inundaverat or-



bem b) Tempore S. Augustini dari antipodas communiter negatum fuit. Sensus igitur naturæ communis fallere potest. — De Polytheismo non adeo universalis jam locuti sumus supra, ubi certitudinem testimonii humani discussimus: nec doctrina ista unquam fuit ad felicitatem generis humani, moresque ad rectitudinem moralem componendos: immo satis ex Vossi *Theologia Deorum gentilium* aliisque scriptoribus Mythologicis constat, vanorum numinum in cerebris idololatrarum existentiam quam maxime opus esse institutionis & auctoritatis, adeoque sensus naturæ communis nequaquam effectum fuisse. De Antipodibus quod additur, pariter non infringit sensum naturæ communem. Nec istud enim judicium aut moribus emendandis, aut felicitati hominum promovenda serviebat, neque adeo erat universale; quum diu ante tempora S. Augustini contraria opinio invaluerat. Vid. Plin. L. 4. c. 12. Cicero in somnio scipion. c. 6. Memoires de Trevoux ad ann. 1708. Januar. p. 130. & Februar. p. 299.

5) Non repugnat divinæ sapientiæ, Providentiæ ac Benevolentiæ permittere universale malum voluntatis: igitur absurdum quoque non erit; si permittat universale malum intellectus. — Verum sequela falsa ex eo adparet; quia in universalis voluntatis malo homines adhuc habent remedium corrigendi erroris, & mali istius origo dependet ab ipsis hominibus. Contrarium vero foret in casu opposito.

C A P U T V I.

D e s c e p t i c i s m o.

§. 164.

Scepsis seu ars sceptica est facultas, quæ sensibus ad-parentia, & ea, quæ mente & intellectu percipiuntur, confert inter se, atque opponit quolibet modo: ita scepsin describit sextus Empiricus. Re autem ipsa nihil fuit, & est aliud, quam de veritatibus quibuslibet dubitatio. Dubitantium horum varia apud veteres fuere nomina: *sceptici* vocabantur; quia semper inquirunt, & nunquam inveniunt veritatem: *Aporetici*; quia semper dubitant: *Epechtici*; quia facta veritatis inquisitione semper de eadem ambigunt: *Zeteici*; quia semper in via investigationis harent. Opponebantur *Dogmaticis*, qui ad sensum præbent demonstrationibus: Sceptici vero nulli Demonstrationi ad sensum præbent, seu potius concedunt dari demonstrationes rerum & veritatum. Non quidem negant dari veritates, sed negant veritates a nobis intelligi posse; nec negant rerum ad parentias, sed quid sint res, detegi non posse judicant, adeoque nulli dogmati ad sensum præbent; sed cohibent ad sensum: quæ ad sensum cohibitio & suspensio dicitur (*Epochæ*) (ἐποχή). Quare sceptici etiam semper negabant se specialem sectam confitentes; quum dogmata non haberent sibi propria; nisi forte dogmatum systema dixeris communem, pricipia &



propositiones citra ullius adfirmationem examinandi methodum. Pyrrho Pontifex Eleanus illius plerumque auctor creditur. Ast Philosophi hoc longe antiquiores aut ad perte favebant scepſi, aut doctrina saltim sua, etiam inscii viam ad illam sternebant. His adſcenſeri merito poſſunt: Homerus, septem Græci sapientes Empedocles, Anaxagoras, Xenophanes, Zeno, Heraclitus, Democritus, Protagoras, quin adeo Plato & Socrates, maxime autem omnium Arcesilaus, & ejus ſequaces, Metrodorus, Anaxarchus, & tum denique Pyrrho Anaxarchi diſcipulus. Scepſeos incunabula facile diuinare licet. Continuae inter Philosophos antiquiores lites, alterationes diſſidia, novaturiendi libido viæ erant ad excessum pronissimæ. Adcedebat fastus, quo quilibet ſectæ novæ fundator, quam prudens jam inventæ excultor eſſe malebat: inde evulſa ex quolibet ſystemate propositio ſystematis novi, novæ ſectæ condendæ occasio eſſe debebat. Quare factum denique eſt, ut propositio nulla tam fuerit inepta, erronea, falſa, abominanda, quæ non ex Philosophorum numero aliquem pro defenfore haberet. Quid vero facilius fuit, ac inter tot diſſidia, nulli componenda intellectui conſtitisse aliquem medium, partim ex fastu, partim ex reverentia erga tot tantosque viros, tam ubique depre dicatos neutri adcedere parti, neque adfirmare, neque

negare

negare ullum in diversa difensorum dogma? *Vid. Godofredi Plouquet. comment. Philos. select. comment. III.* Steinachers Lehrbuch der Philosophischen Geschichte I. Zeitraum §. 113. & sequentibus. Michael Hismanns Briefe über Gegenstände der Philosophie. Büsching. Gründriß einer Geschichte der Philosophie §. 62. Jacobi Bruckeri Histor. Critic. *Philosophiae, P. II. L. II. C. XIV.*

§. 165. Scepticismi hodierni duæ præcipue sunt classes, *moderata*, & *effrænis*. Effrænis scepticismus est ille, qui veterum Pyrrhoniorum more omnem abnegat rebus sensibilibus certitudinem. Favorinus, qui tempore Hadriani imperatoris vixit, decem libros *πορρωτειῶν τρόπων* conscripsit, & tam proterve scepticismum coluit; ut ne hoc quidem se scire diceret, *ans unus duntaxas sol terram collusfret*. Hanc ineptiam veteres non tam argumentis quam sarcasmis & nova pertulantia confoderunt: Sic Epidetus Favorini ceterorumque scepticorum hostis acerrimus, quum ex quodam eorum audivisset, sensus nostros perpetuo fallere, respondisse fertur: *Quis vestrum aliquando volens thermas adire, in pistillum flagella excepturus introivit?* hinc dicere amabat: *si cuiusdam scepisci famulus forem; non sine voluprate eum constanter ludificarem; sequidem jubenti me adfundere oleum balneo, effunderem aere lixivium supra illius caput: petenti decoctum, afferrem acetum, & super hæc*




omnia si querularetur, aut offensam proderet, decipi eum dicerem, & cobortarer, aut acetum pro decocto habeat, aut mentem suam erroneam commutet. Scepticismum hunc effrænem hodieum vix aliquis tuetur, nisi forte ille, qui fateri non erubescit, se veterno per omnem vitam opprimi, & in perpetua amentia versari. Ex haec tenus enim in parte secunda hujus Logices contractæ dictis abunde patet, dari veram ac solidam scientiam, & certitudinem de veritatibus a.) abstractis per evidentiam, aut immediatain, aut mediata in saltim cognoscendis, b.) de ipsis animæ affectionibus per sensum intimum manifestis c.) de ideis sensualibus corporum existentium per eam, quam in organa sensoria exerunt, actionem testibus, d.) de veritatibus permultis historicis ex aliorum testimonio perdiscendis, e.) de judiciis ex sensu naturæ communi de vitæque morumque fundamentis, ac physicis rerum eventibus formandis. Quis ergo tam amens sit, ut omnem prorsus scientiam ex hominum mentibus eliminatam dicat, ac nunquam reducendam?

§. 166. Scepticissimus moderatus prioris ignorantiā restringit, variosque gradus habet. *Primus* effræni scepticismo suppar omnem veritatem & certitudinem a divina revelatione repetit, nihil vero rectæ rationi ad eam consequendam tribuendum esse existimat. *Ait*

nun-

nunquid ipsa revelatio divina sine ratione innotescit? nunquid sine sensuum officiis & majorum auctoritate constaret nobis, quæ fuerint revelationis divinæ contenta, sensusve illorum? Profecto si nulla rationi, nulla testimonio humano subest fides, quomodo Patriarchæ & Apostoli certi esse potuerunt de signis divinitus editis, aut de indiciis Dei loquentis? cur sacra utriusque testamenti volumina prædicari atque conscribi præcepisset Deus, si auscultatio aut lectio eorundem perpetuam suppeditat fallendi occasionem? *Vid Daniel Huetius de la foibleſſe de l'entendement humain.* hoc labyrintho implicitus, vir ceteroquin adeo eruditus.

§. 167. Alter moderati scepticisni gradus admittit, aliquas quidem dari veritates rationis, sensuum & aliorum testimonii ope obtineri posse, illas vero esse paucissimas; & tam exigua luce intellectui adfundti, ut nunquam non luſta aut formido contrariarum opinio- num interveniat. Hinc omni veritati, ut ut evidenti diffidunt; nec quod heri pro vero agnoverunt, hodie ita se habere pro certo adſfirmare audent. Duas potiſſimum hujus scepticismi causas adſignat *Dalbam* l. c. pri- mam dicit *imbecillitatem mentis*, qua, quam ex- pendunt arcanam rerum omnium naturam, & varium singula in utramque partem explicandi modum, ipſa



sua ineptitudine repressi, nec veritatis ullam in ipsis reperiunt, aut evidentiæ ideam; aut si reperiant, pugnantium idearum adpulsum denuo sinunt elabi. Alteram hujus scepticismi causam adsignat *mentis ubertatem*, seu petulantiam eorum, qui plurimarum rerum cognitione & mentis acumine inflati, varias conjecturas, hypotheses & argumenta extemplo proferunt, e quibus ejusdem rei plures & contrarias explicationes eodem pene valore evolvunt, Idem hoc genere hominum est longe pessimum, quod longiori usu in veritatis & argutiarum confusione proiecti, citra veritatis sollicitudinem, & huic, & illis æquale pretium constituant, ac tandem superati ipsa suæ vanitate irrideant æque omnia & contemnant. Quærit porro allegatus Dalhain: *An pauci ejusmodi sceptici inter disputatores scholasticos habentur, qui eadem cum facilitate & promptitudine argumentum convertunt in omnem partem, & etiam problema exinde se posse confiscere gloriantur?* Causa horum scepticorum putida ex dictis supra jam sufficienter cognoscitur: cognoscent ipsi sceptici; si aut fastum deponent suum, aut animum inbecillem corroborarent. De scepticismo refutato videantur Federi Loski & allegati apud ipsum scriptores.

§. 168. Fanatismus proxima est ad scepticisimum via. Fictiones enim, quarum fanatici ejusmodi homines & plenissimi sunt, & tenacissimi, prioribus eorumdem ideis ob imaginationis vehementiam, novas et novas semper adjiciunt, & eo tandem adiungunt; ut ad absurdia & impossibilia traducti, aperte se suis phantasmati delusos, deceptosque fuisse sentiant. Quid igitur agunt? veritatem a ludibriis discernere non valent, quibus cura domi in cerebro supellex est: hinc omnia denique permiscunt, confundunt, simul omnia pernegant.

CAPUT VII.

De fontibus errorum.

§. 169.

Ad sensum rei de se falsae tanquam veræ, aut vicissim præstitum, supra §. 67. errorem diximus. Dolendum quidem est, arctis adeo limitibus intelligentiam nostram esse circumscriptam, ut omnem prorsus errorem devitare non possumus; ast detectis semel fontibus, unde profluant potissimi, eo tamen facilius erit, remedia invenire, quibus isti saltim declinentur: & hoc præstitisse lucrum jam est Philosopho.

§. 170. Omnes errorum fontes ob easdem mentis nostræ angustias recenseri non posse, nemo negabit.

Q 4

Gene-



Generales duntaxat errorum classes adsignari possunt, ex quibus ceu totidem fontibus alii innumeri derivantur. Meditatione solida & reflexione super fontes istos instituta erit tamen, ut plures etiam errorum ejusmodi conseq̄tiorum devitare discamus.

§. 171. Generalissimus omnium errorum fons est debitæ adtentioñis & legitimi examinis defectus. Quum enim quælibet propositio vera veritatis; falsa contra falsitatis suæ criteria habeat, quæ adtentione rite adhibita & examine legitime instituto detegi possunt; patet eum, qui falsa pro veris amplectitur, non animadversis veritatis vel falsitatis notis, seu criteriis judicare; adeoque adtentioñem debitam & examen negligere: Ergo generalissimus omnium errorum fons est debitæ adtentioñis atque examinis neglectus.

Corollarium. Quum ignavia sit vitium, quo quis vires suas, ubi debebat applicare, omittit: præcipitantia vero; si quis verum vel falsum esse quidpiam judicat nondum animadversis veritatis, vel falsitatis criteriis: patet, quum error ex defectu debitæ adtentioñis & examinis legitimis oritur, ejus causam esse ignaviam & præcipitantiam, illam quidem deficientem, hanc vero efficientem.

Scholion. Hæc ignavia aut præcipitantia non mensuratur a tempore rei considerandæ impenso, sed a criteriis nullis, aut paucioribus cognitis.

§. 172.

§. 172. Vix nati sensuum ministerio uti possimus, quo sensum aliquatenus perfecto ipsum rationis usum consequimur. Expedito sensuum usui paulatim adsueta, & ea quæ sensus referunt, ut talia re vera fæpius experti habitum quemdam nanciscimur, seu prompititudinem, secundum sensuum qualemcumque adparentiam judicandi. Quum vero sensus externi objecta nobis non semper exhibeant, prout absolute & in omni statui existunt, sed tantum prout in certis circumstantiis organis sensuum mutationes quasdam inducunt; variatis igitur circumstantiis, vel organis sensuum aliter dispositis aliæ exorientur objectorum repræsentationes. Qui ergo consuetudinem contraxit, secundum qualemcumque sensuum adparentiam judicandi de absolutis corporum proprietatibus, sine examine prævio debitaque mentis adtentione consuetudinem contraxit erroneam. Recolatur totum Caput 2. P. II. de cognitione per sensus.

Corollarium. Hæc consuetudo plurium errorum fons est; aliquos notabimus vulgo solenniores. I. *Quidquiparvum,* seu exiguae magnitudinis adparet, id re vera tale est; Hinc Planetæ, Stellæ fixæ exiguis discis, immo subinde punctis a plebe æquales censentur. II. *In quibuscumque rebus pauca tantummodo observare possumus,* in illis re ipsa plura non dantur observatu & memoratu digna. Hinc vulgus falsissima judicat, quæ de stupenda corporum diuisibilitate,



ductilitate auri &c. sanior Philosophia tradit. III. *Quidquid in sensus immediate non incurrit, id non existit.* Hinc rudiores punctorum simplicium, effluviorum magneticorum &c. existentiam inficiantur. *Pro legitima sensuum experientia vide præter allegatum jam Caput secundum hujus partis Dalbam l. c. de origine & causis errorum.*

§. 173. Quum rem quamdam sensibus proposita-
tam observamus, vi facultatis combinatoriæ non raro
notas ei adjicimus, quæ rei nequaquam insunt, vid.

§. 24. P. 1. Quando postmodum vi idearum repro-
ductiva seu phantasia ejusmodi idea reproducuntur, non
raro cum iisdem notis antea facultate fingendi adjectis,
cum pluribus subinde similitudinem quandam habenti-
bus redeunt §. 18. P. I. Hæc ipsa proinde phantasia
erroris occasio esse potest; quum quis ea pro connexis
cum re ipsa judicat, quæ per facultatem combinato-
riam tantum adjecta, vel ex legibus phantasie ob simi-
litudinem, aut quandam temporis rationem simul re-
producatur alia idea, aut admodum immutata: nos
vero putemus esse eandem cum olim habita: memoria
is defectus est, erroris non infrequentis causa. *Nimia
igitur Phantasie aut Memoriae confidencia mater est erro-
rum fecundissima.*

§. 174. Sæpius ea, quæ separata a reliquis con-
cipimus, ita etiam in rerum natura existere puto-

imus:

mus: quandoque succedit res, si de compositis sic cogitamus: si vero de re quapiam simplice notam quamdam mentis operatione abstrahimus, eamque ut ens aliud individuum nobis representamus; aut si notas a rebus ipsis abstractas ac universales re vera existere arbitramur; in errorem abstractionis incidimus; est enim iste, quem abstracta cum concretis confundimus. Hunc errorem comittebat celebris etiam in Academia nostra Realistarum secta. *Vid. Schol. §. 23.*

§. 175. Facile in judicando contingit, ut ea pro veris habeamus, quæ corporum nostrorum constitutioni, aut prædominanti cuidam inclinationi adulantur; licet re ipsa falsa sint. Sic *superbus* ea facillime pro veris habet, quæ honori & famæ suæ amplificandis inserviunt; falsa e contra reputabit omnia ea, quæ honori, aut famæ contraria sunt. Actus ejusmodi erroneus *præjudicium ambitionis aut superbiae* dicitur. Errores frequentiores ex hoc præjudicio facile ad sequentes reducuntur. 1) Ineptum esse, errorem fateri, licet agnatum, sed eum potius pertinaci animo defendendum esse. 2) Ea, quæ nos non intelligimus, esse nullius momenti. Hinc unius scientiæ ambitiosus Doctor, reliquas ignorat facile omnes; quia contemnit. 3) Quæcunque ipse non adsequimur humanis viribus esse ma-

jora.



jora. 4) Quidquid honoratores faciunt, vel probant idem esse faciendum, vel adprobandum: & contra. 5) Famæ eruditionis potius & virtutis, quam ipsi eruditioni & virtuti esse studendum. 6) Quidquid nos a vulgo distinguit, aliorumque nostri admirationem gignit, id adprobandum esse. Sic *voluptarius* omnia cæqui bonique consultit, quæ inclinationi ad voluptates propendenti favent, rejiciendum vero existimat, quidquid illi adversatur. Actus ex hac ratione erroneous *præjudicium voluptatis* vocatur. Homo illi deditus laborem in re quavis perosus vix unquam scientias profundiens rimabitur, nisi forte harum discendarum molestiam ob majoris voluptatis spem devoret. 1) Laxi in moralibus patroni ubique genio & suo litant, & aliorum: & quidquid non suaviter adscit facile ad scholasticorum insanas nugas ablegant. Sic avarus sacræ suæ libidinis ubivis exsatiandæ studiosus dogmata quævis arripiet suo faventia lucro, respuet cetera. Huc referendi etiam sunt omnes errores, quos ex gradu quodam vehementiore appetitus aut aversationis inferioris seu sensitivæ incauti committunt.

§. 176. Homines nimia novaturiendi libidine abrepti, aut nimio antiquitatis studio præoccupati temeraria sæpius præcipitantia adprobant damnanda, & ad-

pro-

probanda damnant. Uterque hic scopulus sedulo ca-
vendus; nam bene cecinit vates

Stultus is est merito, cui nova sola placent:

Et Stultus is est merito, cui nova nulla placent.

Veritas enim exploranda semper, nec ætati, nec statui,
seclæ, patriæ, educationi, Magistris litandum ita; ut
cæco quodam impetu in omnia proni ruamus, quæ il-
lorum sunt conditioni conformia. Inde enim præjudi-
cia illa famosa totidem proveniunt. Erudite illa &
copiose pertractat Antonius Genuensis, & Dalbam l. l. c. c. in-
flar eorum erit præclara dissertatio de fontibus errorum a Cl.
Schwab 1769 in lucem data.

§. 177. Odiosa Sophistarum cohors innumeram ex-
excogitavit falliarum farraginem, quibus incautis im-
ponerent, ac spurias suas merces pro veris obtruderent.
Et has proinde detegere juvabit, ut adolescentes discant
evitare, abhorrere inania otiosorum ingeniorum deliria,
& seculorum priorum barbariem. Fallaciæ autem com-
mittuntur vel in forma, dum leges syllogisticæ violan-
tur; vel in dictione vel simplici, qua una vox nos de-
cipit: 1.) *propter obscuritatem* sic ex Marci c. 16. v. 15.
Evangelium est omni creaturæ prædicandum; satellites
Jovis sunt creaturæ: ergo iis Evangelium est prædican-
dum. 2.) *propter ambiguitatem* e. g. omnem virginem fin-


gula-



gulariter amat Deus, quædam Constellatio est Virgo; ergo aliquam constellationem singulariter amat. 3.) *propter Confusionem.* Sic: Populus crescit ex terra prope fluvios, incolæ Heidelbergenses sunt Populus: ergo incolæ Heidelbergenses crescunt ex terra prope fluvios. Vel propter *conjuncta*, qua pluribus vocibus ad se relatis decipi-
mur, 1. *per amphiboliam*, qua oratio habet plures sensus pro-
prios, aut unum proprium, alterum Metaphoricum, sic:
cujus aliquis emptor est, id venale est; atqui Socrates
bonæ fidei emptor est: ergo bona fides venalis est. 2.
Per confusionem divisi & compositi, dum ea, quæ divisim
sunt intelligenda, conjunctim sumuntur & v. v. e. g.
qui surrexit, stat; sedens surrexit: ergo sedens stat.
3. *Per figuram dictionis*, quæ vocum significationem mu-
tat, & rei quantitatem vel qualitatem, quam revera non
habet, mentitur. E. g. qui ego sum, tu non es; ego
sum homo; ergo tu non es homo; *vel in materia*, dum
vel terminos, vel res ipsas non satis perspectas habemus.
Extra dictionem seu in re, fallacie 1 *Accidentis*, quando
id, quod per se tale est, cum eo, quod per accidens
tale est, confunditur & v. v. Sic: quod facit, quo mi-
nus quis Christi Discipulus esse possit (per se) id Christiani
possidere illicitum est; sed divitiae faciunt, quo
minus quis Christi Discipulus esse possit (per accidens)
ergo Christianis illicitum est possidere divitias. 2. *Dicti-*

secun-

secundum quid & simpliciter, dum illud, quod cum exceptione, limitatione aut restrictione verum est, ut absolute verum accipimus & v.v. Sic: Eum, qui eminus advenit, Plato non novit, Socrates eminus advenit: ergo Socratem Plato non novit. 3. *Petitionis principii*, ubi pro medio probandi idem adsumitur, quod queritur, aut probandum est, vel saltem propositio æquivalens. Sic: Planetæ sunt habitabiles: ergo dantur Planeticolæ. 4. *Non causæ ut causæ*, quando pro causa effectus ponitur, quod tamen causa illius non est, ad summum eam antecedit, vel comitantur. Sic: Natura horret vacuum: ergo mercurius in Barometro ascendit. 5. *Ignorantia Elenchi*, dum vel Contradiccio inter propositiones minime pugnantes adesse existimatur, aut argumentum in longe aliud, quam quod probandum esset, collimans adferatur. Sic: Luna ex Moyse est luminare: ergo luna non est corpus opacum. 6. *Plurium interrogationum* per modum unius, si nempe varia quæsita simul expedientia proponuntur. Sic: aut verum est solam ex Planetis lunam proprio lumine radiare, aut falsum; si verum est, luna sola non est Planeta; si falsum est, etiam reliqui Planetæ non erunt Planetæ.



CAPUT VIII.

De remediosis errorum.

§. 178.

Quod peritis nautis solenne est, ut non tantum de scylla, charybde, variis vorticibus & scopulis edocti navigationes vastissimas ineant, sed etiam aptam supellefitem sibi parent, ad terminum suum felicius per venturi: id profus existimo etiam veritatis scrutatori opus esse, ut non tantum de erroribus, in indaganda veritate facile committendis, eorumque causis præmonatur; sed etiam canones ipsi suppeditentur certi, quorum observatione scopulos istos declinare, & ad desideratum veritatis portum pervenire valeat. Canones autem & remedia ejusmodi duplicis esse generis debent, nimirum aut *præservantia*, aut *liberantia ab errore*. Per primi generis media caveamus, ne in errorem incidamus; per alterius, errores iam commissos detegere, atque ex animo ejicere valeamus.

§. 179. Remedia errorum *præservantia generalissima* sunt: Examen rerum ac propositionum ad cognoscendum propositarum, serium, adtentione omni ad criteria veritatis adhibita statutum, & suspensio judicij eo usque extensa, donec de criteriorum ejusmodi *præfertia certi simus atque convicti*. Quam enim ex cap.

præ-

præced. generalissima errorum causa sit neglectus legiti-
mi examinis, atque debitæ adtentionis defectus, & præ-
cipitania in judicando: hoc obice sublato errores etiam
eo facilius, immo certius evitantur. Quare sedulo ca-
vendum est, ne de re quapiam feratur sententia, nisi
prius compertum sit, quid in illius clara & distincta
idea contineatur: neve disputationes moveantur, ante-
quam de genuino vocum conceptu conventum, dubiæ
elucidatæ & fixæ fuerint vagæ. Conf. c. 4. P. I.

Scholion. 1. Qui prius de re quapiam decidere præ-
sumunt, ac distinctam sibi illius ideam efformayerint; bi-
lem merito movent doctis omnibus, qui diurno studio
& improbo in scrutando labore suo se delusos vident;
quum thrafonem ejusmodi superficiarium dictatorie de re-
bus pronuntiare audiunt. Ad disciplinam Pythagoræ, *ait*
Dalbam, infrunitos hos garriones detrudere oporteret, ubi
quinquennali silentio subacti, adtentи docilesque reddantur.
Forte etiam pia, quam Rabnerus optavit, fundatio locum
commodum daret præclaris ejusmodi, dummodo cerebrum
haberent capitibus.

Scholion. 2. Quam inanes subinde disceptationes, vi-
tiligationes ex male intellectis vocabulis, dubiis, vagis,
non satis fixis, dudum doluit literarius orbis. Et mirum
profecto est, nostra etiam atate, *seculo decimo*
octavo reperire esse homines, qui adversus systematicum
in docendo ordinem, quo notiones ad rem quamdam præ-
via adcurate figurunt, elucidantur sollicite, ac, quæ ex
ipsis corollaria evolyantur, ea, qua se consequuntur, serie



planissime ob oculos ponunt, tota sua bile invehuntur, consulta ex variis centonibus ingenia.

§. 180. Pro judicio ab experientia sensuum formando canonem hunc præsertim ob oculos habe: *Res non semper absolute & in se sunt, quemadmodum sensus primo intuitu easdem nobis exhibere solent.* Quare regulas pro resto usu sensuum P. II. c. 2. traditas tibi familiares habeas, & nunquam negligas.

§. 181. Pro cognitione per rationem cum fructu observabis ea, quæ supra c. III. de cognitione per rationem dicta sunt; quæ observabis eo facilius, quo firmiores mente steterint canones sequentes. I. Distinguida sunt essentialia ab accidentibus, eaque, quæ in rebus ipsis rationem habent, ab iis, quæ casu tantum in mente nostra cum ipsis rerum ideis jungantur. II. Rerum abstractarum notiones quantum fieri potest distinctissime sunt formandæ. III. Speciatim ad genesis ejusmodi idearum abstractarum attendendum, ac inquirendum, qua ratione easdem simus consecuti. IV. Ratiocinia secundum regulas Logicas cum quoad materiam, tum quoad formam, probe examinanda sunt.

§. 182. Pro cognitione per testimonium sedulo notanda sunt omnia ea, quæ per plures articulos capi-

te IV. hunc in finem dicta sunt. Ac præsertim ex quæ
ff. 65 & 104. præscriptæ sunt cautelæ observandæ.
I. Ne quæstiones dogmaticas ex auctoritate decide-
endas putemus, & in *Philosophicis* præsertim sanctorum
Patrum sententiis, aut conciliorum etiam oecumenico-
rum explicandi modis cæca ducti reverentia subscriba-
mus. II. Ut etiam in factis historicis nobis fucum ne-
quaquam fieri patiamur, ex dignitate, aut adplausu
forte publico, quem scriptor quipiam ob illam ipsam
materiam, ejusque tractandi modum ex Ephemeridibus
literariis retulit. Constat enim satis, & venales nostra
estate dari calamos, queis facta ejusmodi Ephemeridum
scriptoribus ad invidiam forte partis adversæ, ob lu-
crum quodpiam acquirendum, aut vitandum damnum
non raro sub alia prorsus specie, acre ipsa contigerunt,
transcribuntur, adulterantur.

Scholion. Ridiculus sane mihi Philosophus foret,
qui ex eo, quod Consilium Tridentinum eff. XIII. Can. II.
dicat, in sanctissimo Eucharistiae sacramento fieri conver-
sionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substan-
tiæ vini in sanguinem manentibus duntaxat speciebus panis &
vini, concludere voluerit: ergo re vera dantur accidentia
absoluta, seu talia, quæ re vera extra subjectum existant.
Nec fortius dimicaverit aliquis contra sistema copernica-
num; si dixerit, illud olim a quibusdam Cardinalibus fuisse
confixum. Ceterum non meam solius hanc esse sententiam
jam satis ostensum fuit paragraphis supra dictis.



§. 183. Ad errores ex variis animi inclinationibus provenientes præcavendos quam maxime commendari meretur ad curatum fui ipsius studium, quo quis probe cognoscat, quænam præ ceteris inclinatio sibi dominetur: si perspectum hoc ei fuerit; suspecta habere debet ea omnia, quæ inclinationibus suis favent, atque eo rigidiori examini subjicere, neque præbere antea adsensum, quam evidentissima veritatis criteria adcuratissime in iis pviderit. In adfectibus præfertim suadendum est, ut seria omnis tractatio omittatur, usque dum animus quieti restitutus, atque compositus, fuerit.

§. 184. Contra reliqua præjudicia & errorum fontes supra recitatos servient canones sequentes.

I. Ne præjudicium novitatis & antiquitatis imponat; perpendendum est, antiquissimos errores tempore suo se sua commendasse novitate, & successive novas item tidem veritates indagari: nec errores antiquissimos ob antiquitatem suam in veritates transfire.

II. Præjudicia confortiorum & multitudinis evademus; si consortia ejusmodi elegerimus, quæ animum nostrum erroribus imbuere practicis nequeant: & si perpenderimus, ex omnis ævi memoria maximam fere hominum partem a vera sapientia ac virtute fuisse alienam.

III.

III. *Præjudicium ex modo proponendi*, quod nostra præsertim ætate, ubi literarum humaniorum abusus invaluuit maxime, incautos plurimos malæ favere parti facit, eo periculosius est; quo speciosius sub splendido verborum fuso fraudes & astutias suas tegere ingeniosa hominum malitia didicit. Obarmandus igitur animus semper erit, quoties libros legimus stilo elegantiore exaratos, ne phalerato phrasium ambitu circumveniri nos patiamur, atque propterea singulæ sententiaæ suis nudæ elegantiis ad rigidum rationis tribunal vocentur, examinentur, judicentur.

Scholion. Plures errorum fontes si desideraveris; hoc unum repono: stultorum infinitus est numerus, & quis medicus speciale cuiilibet pharmacum præscriperit?

LOGICES CONTRACTAE P A R S I I I.

D E V E R I T A T E C O M M U N I C A N D A.

C A P U T I.

De Methodo generatim.

§. 185.

Non sibi solum, sed & aliis sapere Philosophia docet: hic non tantum pro veritate jam inventa cognoscenda aut de novo invenienda, sed etiam maxime



§. 187

ad illam cum aliis communicandam regulas tradit. Et
sane quam maximi interest, ut regulæ istæ sint adcura-
tissime definitæ, atque magna cum sollicitudine obser-
ventur, quoties aut ex officio, aut alio etiam ex capite
veritas cognita aliis est proponenda. Brevis enim ævi
mortales nos sumus, & rerum discendarum multitudo
sane magna. Quodsi igitur veritates cum aliis com-
municandas tumultuarie protuleris, singulisque propri-
am velis impendere doctionem; rerum plurimarum
cognitione destitues eos, quorum erudiendorum cura
munusque tibi incumbunt. Et quis perferre valeat
hominem miscentem quadrata rotundis? *Methodo* igitur
quadam opus est, qua singula ita sibi subordinen-
tur, quo se se legitime consequuntur: atque de hac
methodo in præsens sumus acturi.

§. 186. *Methodus* est cogitationum ordo, qui ab
illarum auctore regulis clare cognitis adcommodatur,
vel si brevius cum Wolfio definire malueris, est ordo,
quo quis utitur in tradendo dogmate.

* Distinxerunt olim scholastici Doctores methodum
ab ordine cogitationum, & definiverunt eam *intellectuale*
instrumentum faciens ex notis cognitionem ignoti: hac ratione
methodum & syllogismum pene pro iisdem habebant, illi-
que colligendi atque inferendi vim tribuebant, ordini po-
testatem disponendi reliquentes.

§. 187. Varia methodi divisio est, quam sequens exhibeat tabula. Dividitur autem:

I. Ratione diversarum mentis nostræ facultatum, quibus cogitationes nostræ gignuntur. Hinc methodum *aliam sensuum, aliam imaginationis, ingenii aliam, aliam rationis &c.* esse adserunt.

II. Ratione perfectionis, quam methodo aliqua adhibita in cognitione nostra obtinere possumus.

Nam si

1. Nulla insignis virtus per methodum cognitioni nostræ conciliatur, *vulgaris* illa dicitur:

2. Si autem admodum methodus ad cognitionem nostram perficiendam, *artificialis* ea est, &

a) *Pulchra* quidem, si cognitionis venustas per illam adjuvetur:

b) *Erudita* autem, si perspicuitas solida per eam obtineatur, & in primis

α) Si distincta cogitatio totius in partes dissecti, aut generis in species promovetur; *Methodus scholæ* dicitur, quæ *Tabellaris* est, si membra divisionis aut partitionis signis peculiaribus distinguuntur.

β) Si scientia per methodum obtineatur; *Scientifica* vocatur.



III. Ratione significationis atque expositionis cogitationum nostrarum. Sunt enim hæ

1) vel proponendæ aliis, quæ distinguntur methodo proponendi: atque hæc rursum varie despiciuntur:

a) Ratione habitus externi

a) Aut enim unus duntaxat per universam orationem agit, apud auditores, vel lectores *methodo exegematica* a nonnullis dicta:

β) Aut plures inter se colloquuntur, aut saltim colloqui finguntur, methodo dialogica; quæ *Socratica* tum in primis vocari meretur, si is, qui interrogat, dissimulat: se docere aut refellere.

b) Pro diversa, apud quos agimus, vel quibus cogitata exponimus, indole. Sunt enim hi

a) Vel cognitione aliqua initiandi; quibus adcommodatur *methodus docendi*, & si fuerint

a) Rudiores: adhibetur *methodus exoterica* quæ utilissime dialogica est, & *catechetica* etiam vocatur

b) Po-

b) Politiores; methodus his adcommodata *acroamatica* dicitur, & ob majoris attentionis vim in iis, qui docentur, plerumque exegematica est.

c) Vel in cognitione jam adquisita confirmandi atque augendi.

Scholion. Tabulam hanc eo sine tantum adposui, ut, quando candidati mei in variis Philosophorum compendiis quandom unius ex dictis methodi appellationem repererint; ex peregrina forte, aut barbara etiam voce sibi crucem non figant.

§. 188. Methodum scientificam §. præced diximus eum ordinem tradendorum dogmatum, vi cuius Scientia obtineatur. Quare in scientiis liberum non est, ut pro arbitrio methodo quapiam utamur. Quum enim Scientia sit facilitas res plures demonstrandi, seu veritates ex principiis certis ac evidenteribus legitimo ratione deducendi; sequitur, profecto eum, qui scientiam rei cuiusdam doceatur, nexus doceri debere, quo altera alteri veritas sit conjuncta, quove altera ex altera modo eruenda sit. Nexus autem ejusmodi minime docebitur; nisi docens in sua ipsa docendi ratione ostenderit.

Corollarium. 1. Quum systema sit veritatum inter se & cum principiis suis connexarum congeries, patet methodum *scientificam etiam systematicam* esse debere.



Corollarium. 2. Quum nexus veritatum inter se clare perspici nequeat; si in principiis demonstrationum admittatur quidpiam, quod sit obscurum, aut dubium: aut si in conclusionibus ponatur aliquid, quod in principiis & notionibus præviis declaratum non satis fuit: sequentes pro methodo systematica canones sponte fluunt:

a) Quæ diversa sunt, diversis etiam nominibus exprimenda sunt, ut sic distingui valeant. Quodsi ergo a Philosopho res discernantur, quarum vulgo differentia adtendi non solet, adeoque usitato carent vocabulo: aut si quidpiam ab ipso inventum fuerit majoribus & linguae conditoribus incognitum: nova quidem ipsi licet fingere vocabula; verum, quid per illa intelligat, dilucide exponere debet, & postmodum in eodem semper significatu sumere.

b) Si vox per vulgi inconstantiam in loquendo vel vagum vel ambiguum habeat significatum; Philosophus vagum reducere debet ad fixum, atque inter plures unius vocabuli significationes unam determinare; alias vero a fixa vocabulorum significatione recedere ipsi non licet.

c) Non plures adhibendi sunt termini, quam ad rem clare & distincte proponendam requiruntur. Nimio enim verborum adparatu & lector & auditor obruitur, confunditur.

d) Ideæ ad claritatem & analyticam, & syntheticam perducendæ, ita quidem, ut in notionibus analytice declarandis præmittantur characterum definitiones.

e) Non utendum est, nisi principiis sufficienter certis; & ex illis nihil, nisi per legitimam consequentiam deducatur,

tur, ut ratio sequentium propositionum ex antecedentibus cognoscatur.

f) Singulæ propositiones juxta ordinem, quo una ex altera sequitur, se se excipiunt, debitissimè ubique determinationibus, dilucidationibus vestitæ.

g) Si quædam cogniti fuerint utilia, nec tamen demonstrari possint; saltim solida earum probabilitas ostendenda: atque hæc ipsa probabilitas nunquam est cum certis confundenda, neque incauto lectori pro certitudine obtrudenda.

* Huic methodo opponitur ista, quam Wolfius *scho-
lasticam* dicit. quæ omnia ad idem subiectum spectantia in eundem locum congerit, nulla habita ratione, quomodo cognitionis unius pendeat a cognitione alterius.

§. 189. Methodus scientifica in suis demonstrationibus vel synthetica est, vel analyticæ ex §. 63. schol. i. utramque ad veritatem conducere, nemo negaverit; ast in indaganda, quum ea, quæ experimur, singularia tantum sint, plus facilitatis adferet analyticæ: in communicandis autem veritatibus plerumque dominetur altera; quum sic cognitis generalibus rerum principiis penus subministratur aptissima auditoribus, ad alias ex fixis principiis veritates facilissime deducendas. Methodus ex utraque mixta tum in Philosophorum, tum Mathematicorum libris cum fructu adhibetur.

* Methodum scientificam sive analyticam, sive syntheticam & mathematicam bene dici, patet consideranti regulas, quas paulo ante pro methodo scientifica statui, & eas cum mathematicorum scriptis conferenti.



CAPUT II.

*De methodo scientifica a linguarum doctoribus
adPLICANDA.*

§. 190.

Lingua est complexus omnium vocabulorum, de quibus singulis hominibus ad aliquam societatem pertinentibus convenit, ad cogitationes suas sibi mutuo indicandas. Experientia autem docet, in linguis prout haec tenus ab hominibus inventae sunt 1) uni saepius vocabulo diversos significatus competere. 2) Plura esse vocabulorum species & genera, *puta*, *nomina*, *verba*, *adverbia*, *conjunctiones*, *præpositiones*, *interjectiones* &c. 3) Quædam vocabulorum mutationes pendere ab adjetione aliorum, quasdam vero non: prioris generis mutationes *relativæ*; posterioris *absolutæ* vocari possunt: utraque in diversis linguis varia est. 4) In conjunctione vocabulorum ad propositionem efficiendam mutationem illa subire tum absolutam plerumque, tum relativam. 5) In mutationibus & conjunctionibus vocabulorum similitudinem quamdam servari, quæ efficiat, ut possint propositiones generales de iisdem constitui, seu *regule*, quarum, quæ de mutationibus præcipiunt, *etymologicae*: quæ autem conjunctionem in propositionibus docent, *syntacticæ* dicuntur. 6) Vocabula variis sonis effici, qui *elementa* vocantur. Hæc *simplicia* sunt;

fi

si non iterum ex aliis sonis tanquam partibus compo-
 nuntur, & vocalia quidem, quæ absque alio sono; con-
 sonantia vero, quæ non sine vocalibus efferri possunt.
 Si vocabulum in tot partes secetur, quot elementa vo-
 calia insunt, & elementa consonantia sine transpositio-
 ne ad id vocale referantur, quocum per genium lin-
 guæ optime efferuntur; ejusmodi partes vocantur *sylla-
 bæ*. 7) Non elementis tantum vocabula constituenti-
 bus, sed etiam quibusdam de terminationibus tum ele-
 mentorum, tum syllabarum, tum vocum integrarum
 significandis in linguarum plurimis signa, seu figuræ
 inventæ sunt. Elementorum figuræ, *literæ*: figuræ
 vero ad reliquas determinationes discernendas, *notæ
 diacriticae* dicuntur. 8) Multum referre, quomodo soni
 sive singuli, sive conjuncti vocabulorum efferantur,
 esseque in lingua una, qualis non in altera. 9) Inter
 plures vocabuli syllabas unam potissimum intendi, quæ
 ideo *tonum* habere dicitur: varias toni mutationes pro-
 pter *Euphoniam* esse introductas, quæ potissimum mix-
 tione longarum breviumque syllabarum obtinetur: hæc
metrum dicitur, si ad mensuram omnium syllabarum
 similitudine servata exigitur: si autem majori varietati
 locus conceditur, nec syllaba quævis ad mensuram ad-
 commodatur; *numerus oratorius* adpellatur. 10) A do-
 catis linguas plures ita excultas, ut splendore suo, ac



vita mirifice recreare, rebusque ipsis amænitatem, & poetico & oratorio valeant genere adfundere, multumque ejusmodi ratione in vulgo loquendi consuetudine esse alienam; ac denique. II) In lingua quavis exculta varia dialectos, ac atates probe esse discernendas. Quum igitur experientia teste hæc omnia in linguis observentur, ac deprehendere liceat examine debite instituto, patet: Linguae cujusdam illum duntaxat peritum dici posse, cui singula hæc perspecta fuerint. Quumque docere qui alterum linguam voluerit, illius peritum eum facere debeat; sequitur, quevis linguae cujusdam doctorem singula modo recensita tironi suo cognita facere debere: *Docere enim generalissime spectatum, est rerum incognitarum alteri notitiam instillare.*

§. 191. Scientifice linguam docendi possibilis ex singulis illius partibus manifesta fit, adcuratius eas pensantibus. Sic enim in *Orthoëpia*, seu recta pronuntiandi ratione methodo utetur scientifica, qui experientia duce cognitos vocabulorum sonos simplices generibus quibusdam denominationibus subjicit; definitio-nes saltim geneticas, aut pingendo, aut pronuntiationis modum ostendendo format: Hinc varia elementorum genera e. g. *gutturalium*, *labialium*, *dentalium*, *lingualium &c.* distinguit; Inde notiones abstractæ, ter-

mini

mini technici, definitiones nominales suppeditant propositiones universales, principia, ex quibus ratio variarum mutationum vocabulis accidentium reddi potest, & sic ipsa pronuntiandi ratio philosophice pertractari.

Scholion. Nostra præsertim ætate de possibilitate methodi istius dubitare non amplius licet: quum tot ad eam inductiones, theoriae publicis typis impressæ prostent, & praxis frequentissima varie tentata, confirmata, adprobata sit.

§. 192. *Orthotonia* eodem pertractari modo potest. Nam ipsa linguarum in tonis similitudo per leges inductionis observata notiones, definitiones formandis propositionibus, principiis subministrat: Quin ex ipsa Euphonia, gentium indole, ipsis vocabulorum ac syllabarum literis ratio toni aut acuendi, aut deprimendi, variarumque aliarum circa eundem mutationum ratio reddi potest.

§. 193. Ipsi characterum pingendorum magistri satis docent, *orthographiam* tum latius, tum strictius dictam scientifice tradi posse. Litterarum enim ductus simplices reliquorum matrices statuunt: nomina certa imponunt, modum compositionis ostendunt, partim in ipsa ductuum natura, partim in elegantia, aut usi recepto fundatum: ex ipsa linguae, vocabuli natura, ac Etymologia, ex significatu; aut pronuntiandi modo rationem reddere norunt, cur hoc, vel alio charactere, simplece aut composito pingendum sit. §. 194.




§. 194. Ipsum vocabulorum significatum philosophice pertractari posse, multi ambigunt: ast non meminerunt isti, duplēcēm esse significatus istius investigandi viam; aut enim ex aliorum peritorum testimonio descendus, aut propria inquirendus industria est. Utroque horum modo qui eum rite didicerit, regulas Logices probe callere, & rite adiplicare debuit. Et ignorare tantum is poterit, quid Philosophia in figura rerum significatu p̄f̄stet, qui definitionum nominium tantopere subinde necessiarum multitudinem ignoraverit.

§. 195. Ex observationibus cum industria factis partim ex terminatione, partim ex genere, partim ex usu, tempore, dicendique modo varias circa vocabula, eorumque inflexiones mutationes oriri posse: mutatio-nes istas pro classium adsignatarum varietate & relatione similitudinem inter se quamdam habere: paucissima, si cum regularibus conferantur, tantummodo defletere: classes inde generales, propositiones universales, regulas directrices statui posse, ex quibus deinde pro casibus particularibus ratio reddi valeat, palam est. Quare *Etymologia* pariter methodum scientificam admittit.

§. 196. Ætate etiam nostra regularum *syntaxeos* moles, ordo, ususque valide impugnatus fuit: aliis pro solo colloquendi exercitio, aliis pro interpretatione ex

Lingua aliena in nostram instituenda dimicantibus. Ast utrosque linguarum studium minus promovere, ex hisce rationibus persuadeor. Qui solo loquendi exercitio lingua quadam instituantur, ex casibus mere particulis, quos frequentes audiant necesse est, sibi constructionis regulas pro similibus abstrahere aut debent; aut nisi id potuerint, vel neglexerint, hærebunt toties, quoties neandum audita phrasis aut in alienam vertenda linguam proponatur. Et, quum ætas tenera, meditando neendum, aut subtilius abstrahendo adsueta plerumque ea sit, quæ linguis addiscendis adplicetur, qua, quæsione ratione, linguæ cuiusdam perita fiet: adde, sine regulis generalibus aridum de se linguartum studium jejunum esse admodum, nec satiare fatis acres juvenum animos grandia, ampla sciendi avidos. Interpretatione vero juvari plurimum tum memoriam ad regulas jam traditas eo facilius retinendas, tum intellectum ad firmius pro iis stabiliendis ex optimorum scriptorum usu, auctoritateque robur acquirendum, fateri quivis debet, qui linguarum tradendarum & puerorum lubricam indolem explanatus novit. Ast regulas primum, & tantum extrahere velle ex iis, quæ in linguam patriam vertendæ sunt, sententiis laborem in docente prærequireret operosum fatis. Tot enim iste sententias eligere deberet, quot constructionis mutandæ regulas, & exceptiones



lingua quædam continet. Alias enim linguae peritum nequaquam faceret discipulum suum. Et eligat etiam: multo tamen facilis in nexus quodam & discesset, & retinebit tiro regulas. Quodsi enim ita sibi inyicem sub-ordinentur, ut faciliores, generalioresque ex mutationibus absolutis derivandæ, ex usu inter eruditos constanti cognitæ, ex ipsa linguae indole petitæ præcedant, subsequantur deinde aliæ ex hisce corollariaæ, ac ipsæ in ordinem quemdam redactæ exceptiones; nonne modus hicce ipsi hominum naturæ, iisque, quos ex humanitatis, & intellectus humani historia novimus, finibus a creatore præstitutis conformior est? Et syntaxis igitur scientifice tradi potest. Ceterum fateor, me ipsum respuere nimiam regulariun ad linguam aliquam discendam multitudinem. Necessariae tantum, sed solide tradantur istæ.

Scholion. 1. De Prosodia res certa jam est ex §. 192. Grammatica igitur tota scientifice tractari potest: tractata & haec tenus præsertim Latina & Graeca fuit a summis ætate omni viris, quorum adhuc libri sedula solidiorum grammatices doctorum manu versantur: Tales sunt *Vossi*, *Laurentii Vallenii*, *Ursini*, *Sanctii*, *Scioppii*, *Perizonii*, *Lippii* &c. opera & utraque grammatica *Marchica*, quæ & utilitatem ex ipsa jam ratione conspicuum satis, solidissime comprobant, & adversus objectiones quasvis tutam reddunt.

Scholion. 2. Ad stili venustatem ac elegantiam, ad artem Oratoriam & Poëticam, quid conferat methodus bene disposita, ex Aesthetice natura ac indole, & ipsius illius

multoribus abunde liquet. Et quidni ipsa Philosophia pro-droma scientia philosophicis pariter regulis dirigenda sit?

Scholion. 3. De Arte critica, quatenus linguas con-cernit, jam ex iis, quæ supra de hermeneutica dicta sunt, res expedita est, partim vero ex ipsa illius indole patet. Est enim critica linguarum prudens de recte dictis, scriptisve linguæ cuiusdam vocabulis ferendi judicium scientia; sci-entificam igitur methodum non respuit.

CAPUT III.

De modo alios convincendi.

§. 197.

Convincimus alterum, quando efficimus ut propositionem certo veram, aut falsam esse intelligat. Optime id præstabimus, si omnia, quæ ad certam veritatis cognitionem faciunt, eo ordine, ac modo proferimus, quo aut ipsi pervenimus ad veritatis illius cognitionem aut convincendus, si rite se impendisset, fuisset per-venturus.

Scholion. De propositione probabili convincere neminem possum, quia efficere non possum, ut aliquis certo cognoscat esse veram: de ipsa tamen probabilitate, seu propositionem ejusmodi re vera probabilem esse, idem possum efficere.

§. 198. Veritates, de quibus alium convincere pos-sum fuit vel indemonstrabiles, vel demonstrabiles. In-demonstrabiles sola terminorum evolutione jam satis ob oculos ponuntur: quare ad alterum de veritatibus inde-



monstrabilibus convincendum nil amplius requiritur, quam ut notas conceptuum singulas a se discernam, quid quælibet dicat, explanem, usque dum plene intelligat singulas, & combinatas pariter, ac quem ratione sui cum aliis nexus habeant, pervideat. Hoc præstito veritatem ipsam evidentem cognoscet. Veritates demonstrabiles ex principiis demonstrationum, quorum tria P. II. adsignavimus, videlicet *Experientia*, *Ratione*, & *Auctoritate* ostendi debent.


* Recolantur hic ea, quæ §. 63. de Demonstratione & præfertim de arguento ad hominem dicta sunt.

§. 199. Inutiliter collocatur in demonstrando labor; si convincendus debita adtentione careat; aut ne sciat prima probandi demonstrandique principia, ac conclusionum inde deductarum cum iis nexus. Et frustra tentaret demonstrationem, quicunque ideis rerum distinctis destitueretur, aut verborum, queis ea exprimerentur, penuria laboraret, aut generalia methodi præcepta superius tradita ignoraret: uterque igitur defectus tolli prius in utroque debet; antequam opus ipsum adgrediantur.

Corollarium. Qui alterum docet, refutat, aut Thesis defendit, semper convincit: & alter, qui docetur, refutatur, aut contra quem thesis defenditur, semper est convincendus: ergo singulorum officia ex dictis patent.


POSITIONES LOGICAE.

1. Logica est Scientia regularum intellectum in cognoscendo vero dirigidantium.
2. Verum cognosci, vel ex simplici rei cuiusdam representatione seu idea, vel ex judicio, vel denique ratiocinio potest.
3. Idea ratione originis in adventitiam & facultiam dividetur: innata nulla datur. Quæ idearum ratione objecti, & modi representandi sint classes, adsignabit Dilectus de defendens.
4. Ideæ tam rerum possibilium, quam actu existentium sunt capaces vel veritatis, vel falsitatis; prout objecto suo extra mentem existenti vel conformes fuerint, vel difformes.
5. Judicium non est tantum intuitus, sed ad sensus mentis nostræ duarum idearum inter se identitati aut distinctiōni præstitus: vocibus seu terminis expressum, propositione dicitur.
6. Ratione qualitatis propositione vel affirmativa, vel negativa est: ratione quantitatis in universalem, particularem, & singularem, quæ universaliter aequivaleret, dispegitur.
7. Dignoscenda propositionum quantitatii minus inserviunt signa illa vulgo universalia & particularia appellata, sed securius Tyronem dirigunt Canones isti.
 - a) Omnis propositione determinata est universalis.
 - b) Omnis propositione indeterminata est particularis.
8. Propositionem determinatam vocamus, cuius subjectum rationem sufficientem prædicati in se continet: indeterminata.



minatans vero, cuius subiectum hanc rationem non con-
tinet.

9. Ut vero cognoscatur, an subiectum sufficientem prædicati
rationem in se contineat, nec ne; dispiciendum est, num
prædicatum sit essentiale, vel attributum: aut interne,
vel externe accidentale: prius si fuerit; subiectum con-
tinet dictam rationem: posteriorius si fuerit; non continet.
10. Ex propositionibus indeterminatis fieri determinatae,
adeoque ex particularibus universales possunt; si scilicet
conditio illa adponatur ipsi subiecto, sub qua illi prædi-
catum convenit.
11. Propositiones, quæ collectivæ, aut disjunctæ esse suppo-
sitionis dicebantur, referimus ad singulares.
12. Statuto hoc propositionum in determinatas & indeter-
minatas discrimine, facilis est etiam propositionum vulgo
indefinitarum discretio.
13. Omnis propositio determinata est in materia necessaria;
indeterminata vero in materia contingentia.
14. Quantitas prædicati in propositione negativa universalis;
in affirmativa particularis est.
15. Vera est generatim propositio; quando omnia ita se ha-
bent, quo modo ea se habere propositio enuniat.
16. Speciarum propositio in materia necessaria nil aliud ad
sui veritatem requirit, ac prædicati cum subiecto iden-
titatem, aut distinctionem: affirmativa in materia vero
contingenti, si prædicatum fuerit physicum, præter
identitatem prædicati & subiecti, prærequirit etiam
utriusque existentiam.
17. Propositio copulativa affirmativa ad sui veritatem re-
quirit veritatem omnium simul membrorum: Disjun-
ctiva unius tantum membra: Conditionalis, ut nexus
valit



talis conditionem inter & conditionatum sit, vi cuius posita conditio poni quoque conditionatum debeat.

18. Propositiones contradictione oppositæ nec simultaneæ veritatis nec simultaneæ falsitatis: contrarie oppositæ in materia duntaxat contingentia simultaneæ falsitatis: subcontrarie oppositæ veritatis simultaneæ in materia pariter duntaxat contingentia capaces sunt.
19. Actus mentis nostræ, quo duarum idearum identitatem aut distinctionem inferimus ex identitate aut distinctione, quam habere eas in quadam tertia cognovimus, ratiocinium appellamus. Quodsi perfectum, aut si maxime, apertum fuerit, verbisque expressum syllogismus dicitur.
20. Nititur ergo ratiocinium principiis metaphysicis. Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: Quæcunque sunt distincta in uno tertio, sunt distincta inter se.
21. Quale est consequens formaliter spectatum; tale est antecedens.
22. Regulae syllogismorum simplicium speciales ex vulgaribus versiculis: terminus esto trinus &c. multam tyronibus facilitatem praestant.
23. Syllogismus hypotheticus nititur principio rationis sufficientis: disjunctivus vero principio contradictionis.
24. Syllogismorum Crypticorum classes adsignabit Defendens.
25. Veritas Logice considerata est omnimoda conformitas cogitationum nostrarum cum suis objectis.
26. Objecta cogitationum nostrarum vel sunt mere possibilia, vel actu etiam existentia: veræ igitur erunt cogitationes nostræ de objectis possibilibus; si ea re ipsa possibilia:



ha: de objectis existentibus; si ea re ipsa fuerint existentia.

27. Ratio mente determinans, ut intelligat cognitionem suam cum objecto esse conformem, appellatur criterium: ratio autem ista, ex qua mens nostra intelligit, cognitionem suam esse veram, vel est ipsa illa, ob quam vera est nostra cognitione; vel est tantum aliquid connectionem cum ea habens, vi cuius haec sine illa dari non posset: prius si fuerit: criterium internum; si posterius; externum dicitur.
28. Criterium tam in-quam externum sufficiens est; si nexus talis inter illud & veritatem intercedat, ut separari ab illo non possit: si vero talis nexus non intercedat; insufficiens est.
29. Mens nostra de suis cognitionibus certa est; si sufficiencia veritatis criteria habuerit; simulque istorum sufficientiam agnoverit: cum enim secura & omissis errandi formidinis expers in illa quiescet. Status autem ipse mentis nostræ ejusmodi, certitudo audit.
30. Certitudo triplex esse potest: si criteria sunt ejusmodi, quæ nullo in casu fallere possunt; metaphysica: si salvis naturæ legibus fallere nequeant; physica: si non, nisi summa cum difficultate & maturis notabiliter hominum moribus fallere queant; certitudo dicitur moralis.
31. Sensus intimus, seu illa vis animæ, qua haec suas affectiones in se præsentes persenit, criterium sufficiens est veritatis idearum, quæ uerificationis in anima existentiarum repræsentant; ita quidem, ut nullo in casu fallere possit, & certitudo mentis nostræ inde enata prorsus sit metaphysica.



32. Veritas idearum, quæ proprium corpus ut physice extens, variasque ejus mutationes cum in partibus in tum exterioribus excitatas, ac alia corpora repræsentant extra nos posita, variisque adfectionibus prædicta, in quibus ratio sufficiens mutationis in corpore nostro excitatae contineatur, sufficienter intelligitur ex illis ipsis ideis, quas propterea sensuales dicimus; eaque certitudo, quæ ex dicta sensuum experientia menti advenit, fallere eam nullo in casu potest circa existentiam saltim corporum indeterminatorum, aut etiam determinatorum constanter in organa sensoria agentium.
33. Testimonium hominum debitibus qualitatibus prædictum circa res facti criterium veritatis sufficiens esse potest.
34. Communis quedam omnibus hominibus constans, & non voluntaria inclinatio ad adserendas quasdam veritates, quin ad id impellantur aut ab aliqua illarum ratione sufficiente distincte cognita, seu mediate, seu immediate, aut ab aliqua sensatione externa, aut ab auctoritate, sive institutione humana sensus naturæ communis dicitur, & criterium est veritatis sufficiens iudiciorum illorum, quæ sunt fundamenta honestatis, aut ex uniformibus iisque diu multiplicatis experientiis deductæ pro casibus particularibus sequelæ: Quod quidem circa prioris generis iudicia certitudinem menti nostræ metaphysicam, circa posterioris vero physicam parit.
35. Non semper mens nostra criteria veritatis realis, tam intrinseca, quam extrinseca, integra, sed ex parte duntaxat quandoque cognoscit: In casu ejusmodi veritas ipsi certa non est, sed probabilis tantum; & quidem eo probabilius, quo plures rationes veritatis in-



sufficientes, aut criteria partialia cognoverit, vel minus probabilis; quo pauciores rationes veritatis insufficientes, aut criteria partialia cognoverit. Quando autem & que tot, ac graves rationes insufficientes tam pro rei veritate, quam falsitatem habuerit mens nostra, & inde ad sensum suum suspendat, dubia ipsi est veritas.

36. *Omnis cognitione veri, immediate per sensus orta, dicitur experientia: est igitur singularium duntaxat cognitionis; & hanc ob causam, qui ad experientiam provocat, casum adferre singularem tenetur.*
37. *Quid sunt Phænomenon; Observatio; Experimentum, Experientia stabilis, Vitium subreptionis in experiendo, Notum a posteriori, aut priori, adsiguabit Defendens.*
38. *Quidquid cognoscimus; vel a priore, vel a posteriore cognoscimus.*
39. *Modus universim veritatem a posteriore inveniendi, ex resolutione sequentium problematum patescit.*
- I. *Quomodo formantur judicia affirmativa immediata a posteriore?*
- II. *Quomodo negativa?*
- III. *Quomodo invenitur a posteriore, an predicatum iudicii intuitio a posteriore jam inventi sit modus, an attributum, vel nota essentialis.*
- IV. *Quomodo formantur notiones universales distinctae a posteriore?*
- V. *Quomodo efficitur a posteriore, ne notio inventa & pro definitione adsumenda sit suo definito latior, aut angustior, aut abundans.*
- VI. *Quomodo per experientiam formatur definitio genetica, etiam quum definitum abhuc incognitum est?*

VII.

VII. Quomodo
dicoijus
quis sit
VIII. Quo
redditur
40. Modus
bennatur
I. Quomodo
venitur
II. Quomodo
cierunt
III. Quon
& d
IV. Quon
traria
V. Quomo
axioma
VI. Quon
sinone
VII. Quo
tio A
VIII. Q
IX. Quon
41. Qua
defens
legi,

4. Enit in
um Jie
jelvii,



- VII. Quomodo determinatur per experientiam, quæ sit
alicujus mutationis causa: aut si plures fuerint causæ,
quis sit cuiuslibet influxus?
- VIII. Quomodo Propositio particularis per experientiam
redditur universalis?
40. Modus veritatem inveniendi a priore sequentium pro-
blematum solutione paret.
- I. Quomodo data una vel pluribus notionibus specierum in-
venitur notio generis?
- II. Quomodo data definitione generis invenitur definitio spe-
cierum, & divisionum legitimarum?
- III. Quomodo data definitione unius speciei inveniri potest
& definitio alterius speciei sub eodem genere contenta?
- IV. Quomodo per experientiam probatur notionum arbi-
traria determinatione inventarum veritas?
- V. Quomodo data definitione nominali vera inveniuntur
axiomata?
- VI. Quomodo ex definitione data inveniuntur novæ propo-
sitiones per demonstrationem Syntheticam.
- VII. Quomodo dato theoremate ejus invenitur demonstra-
tio Analytica?
- VIII. Quomodo data propositio apagogice demonstratur?
- IX. Quomodo data notione imaginaria invenitur realis?
41. Quæ sint methodi Scientiæ, alias convincendi, thesin
defendendi, disputandi, libros legendi & interpretandi
leges, adsignabit Defens.

ONTOLOGIAE.

- I. Entis in genere, mundi universe sumptri, atque spiritu-
rum Scientia Metaphysicam, uti hodie pertractatur, ab-
solvit.



2. *Partes hæ omnes tum illius evincunt utilitatem, cum ad aliores scientias necessitatem: ridendi propterea sunt miserabiles illi declamatores, qui tota bile sua in scientiam hanc, data, aut adtracta etiam vi occasione, inventebuntur; ac vel maxime suam in hodierna metaphysica ignoratiam patefaciunt, quum eam impugnare volunt.*
3. *Paulatim homines ad abstracte cogitandum deducti, orsi videlicet a rebus quibus circumdati fuere, sensibilibus proprietates deinde in pluribus observatas, seorsum considerare tentarunt: tentamine uno e votis peracto subsequutum est alterum, & sic paulatim alia atque alia; usque dum ad notiones tandem generalissimas pervenatum est: atque hoc initium fuit scientie illius, quæ bona Metaphysica audit.*
4. *Nominis vero ipsius origo communiter Andronico Rhodio tribuitur, qui libros Aristotelis a situ purgatos, in ordinem postea eum, quem bodiedum habent, digessit, & ea, quæ cum reliquis non tam apte cohærere videbantur metra τα Φυσικα (post physica) collocavit.*
5. *Scientiam notionum simplicissimarum, primorumque probandi ac demonstrandi principiorum, vocabulo a græcis desunto, Ontologiam dicimus; quæ ut bodiedum traditur, augustior est, quam ut Lexici philosophici, aut alia labe notari queat.*
6. *Primum, quod in ente occurrit, est ipsa ejus cognoscibilitas; hinc principium rationis sufficientis jure dixeris primum humanae cognitionis, principium: & quia rationem entis primam esse cognoscibilitatem experientia intima novimus: ea vero cognoscibilitas deest contradiccio-*



ditioni, ens illam esse non posse intelligimus, ideo principium contradictionis immediate ex priore rite evoluto sequitur.

7. Quidquid a contradictione immune est, possibile dicitur; quidquid vero continet eam, impossibile est. Tam possibilis hæc entis, quam impossibilitas interna est, & præter externam a sano philosopho admittenda.
8. Non omne, quod possibile est, hoc ipso etiam existit; sed ut possibile existat actu, requiritur determinate illius ratio sufficiens, ejusdem existentiam determinans; quæ, si enti infuerit ipsi, illud non potest non existere.
9. In ente actu existente non plures insunt determinaciones, quam in ejusdem possibiliitate: hinc ens possibile & ens existens semper omnino idem sunt.
10. Quod absolute impossibile est, in nulla hypothesi fieri possibile potest: bene autem illud, quod sub certa dumtaxat conditione est impossibile, sublata ista sit & est possibile.
11. Ens omne seu possibile, seu existens alterutram contradictionis cuiusvis partem continet, adeoque omnimode determinatum est.
12. Determinationes entis vel sunt constantes, vel variabiles; constantes ceterarum determinativarum, notæ essentiales, illarumque complexus essentia; constantes autem per alias determinatæ, attributa dicuntur: Notæ variabiles simul & mutabiles, modi; variabiles tantum, modorum analogæ, seu vocabulo utrisque communi accidentia adpellantur.
13. Ens omne debere habere essentiam suam, quæ a priori demonstrari non potest.



- ¶4. Quum adtributa suam rationem sufficientem in essentialibus habeant; ex iis a priori demonstrari possunt.
- ¶5. Nihil enti inesse potest praeter essentialia, adtributa, & modos, vel certe analoga modorum.
- ¶6. Nec modi, nec modorum negatio per essentialia entis determinantur: ratio tamen possibilitatis modorum in essentialibus continetur; hinc modorum possilitas attributum est.
- ¶7. Modus, qui primus enti inest, habet rationem existentiae sue saltem insufficientem in ente externo.
- ¶8. Ens quodvis per essentialiam suam possibile est; qui proinde distincte noverit entis possilitatem, etiam ejus essentialiam hoc ipso intelligat, neesse est.
- ¶9. Ens notis omnibus suis constantibus praeditum & simul variabilem capax, substantiam dicimus: coexistentialia autem determinationum omnium, per quas omnimodo determinatum existit, statum ejus absolvit.
- ¶10. Determinationes contradictriae in eodem ente compostibilis non sunt: proprius igitur rerum distinctionis character est contradictionis in quacunque nota.
- ¶11. Ens necessarium est, cuius ratio sufficiens existentiae absolute necessaria est: ens vero illud, cuius existentiae ratio sufficiens non absolute necessaria, sed possibilis tam est, contingens appellatur.
- ¶12. Omne ens necessarium sufficientem sue existentiae rationem vel in sua, vel in alterius entis necessarii essentialia, aut saltim in alterius necessarii adtributo habere debet.
- ¶13. Nullum ens contingens, immo si statuatur etiam series entium contingentium infinita (quam tamen actu dari implicat) continere in se potest rationem sufficientem sue,



suæ, aut aliorum existentia; sed ratio illa absolute in
ente necessario & a se ipso existente contineri debet:
Ab existentia igitur entis contingentis optime concludi-
tur ad existentiam entis necessarii; quod tamen existen-
tiae entis contingentis ratio nequaquam absolute necessa-
ria, aut per essentiam suam esse potest, sed liberrima
esse debet.

24. Infinitum est ens a se, adeoque necessario existit: immo
infinitum hoc ipso possibile non foret; si non actu a se
& per se existeret.
25. Idem omnium finitorum perfectiones eminenter continet;
quia continere debet perfectiones omnes possibles sine
defectu: binc non potest dici in certo genere aut specie
perfectum.
26. Competit ipsi absolutissimum in omnia entia finita do-
minium.
27. Unicum tantum possibile est, & existit.
28. Finita multiplicari, perfici, modorum esse capacia, plura
simul, aut successive existere possunt.
29. Tam simultaneitas, quam successio entium relationes
sunt diversæ existentiarum plurium.
30. Simultanea diverso modo coexistentia dicuntur extensa
localiter, extra se posita, mutuo non penetrata: discri-
men igitur simultaneorum in modo coexistendi, locus
est; & complexum ex omnibus simultaneorum locis, spa-
tium conficit: tam spatium vero, quam locus possunt
vel esse realia, vel abstracta:
31. Nullum spatium seu reale, seu abstractum complecti
potest locorum discriminis compossibilita numero infinita.

- * = = = *
32. Possibilia sunt discrimina localia omnium possibilium minima: binc entia simplicia sibi mutuo contigua esse possunt, quin compenetrentur.
 33. Successionem entium per discrimina in modo succedendi multiplicata, tempus dicimus, & binc concludimus, ipsam ejusdem entis durationem nullum quoad se successionem existentie, neque adeo tempus involvere.
 34. Ratio cum suo rationato a priori: rationatum cum sua ratione a posteriori: & quae ejusdem rationis sunt rationata, a concomitanti inter se connexa sunt.
 35. Agere est esse rationem existentiae realitatis diversae; & pari est accipere realitatem, cuius existentiae ratio est in ente realiter distincto.
 36. Omnis passio cum alterius entis realiter distincti actione; non autem vicissim omnis actio cum passione conjuncta est.
 37. Substantiis finitis potest competere, immo actu competet vis activa, seu producendi modos actione tam immateriali, quam transeunte.
 38. Substantias vero ens quocunque finitum nec producere potest, nec conservare: binc etiam implicat, duo entia finita mutua actione se primo producere.
 39. Quum substantiae non, nisi annihilatione perire possint; substantiis finitis non competit vis, qua una alteram, aut omnes etiam simul sumptae vel unicam perire faciant.
 40. Nulla causa finita potest agere in subjecta plura semper ac remotoria sine termino.
 41. Infinitum actione sua ad omnes finitorum actiones immediate concurrere debet.



42. Nexus infinitum inter & finitum mutuus, non autem mutua est dependentia.
43. Essentia compositi qua talis rum in qualitate substantiarum simplicium illud componentium, rum in modo compositionis constat.
44. Nec datur unquam substantia composita.
45. Ens simplex oriri sine creatione, & interire sine annihilatione non potest: contrarium obtinet in composito:

PSYCHOLOGIAE.


1. Existit in nobis ens aliquod, quod & sui ipsius & rerum externarum conscientium est: ens istud mentem, seu animam vocamus.
2. Hec ipsa mentis nostrae existentia efficacissime probatur ex conscientia secunda, qua mens nostra; utpote actione sua, primum existentie sue exercitium intuetur.
3. Quum mens nostra cognoscit corpora extranea, immo & corpus proprium, discernit inter ea tanquam objecta cognitionis, seu res cognitae, non vero tanquam cognoscentes; pater igitur, eam se tum ab externis, tum a proprio corpore discernere.
4. Mens nostra conscientia sibi est, se esse eandem, quæ olim exiterit, & existat hodiecum cogitando: Cognitiones in eadem anima sibi aliæ atque aliæ succedunt: est igitur mens nostra subiectum perdurans, ac variarum modificationum capax, adeoque substantia, eaque, quia mirabilis est, finita.
5. Capacitas recipiendi ideas rerum externarum per organa sensoria; vis sentiendi externa: Facultas intuitum in ipsas ideas converendi, & continuatione istius scientie.



scientias primas efformandi, sensus internus: Facultas intuendi hanc ideas & conscientias, quatenus sunt affectio animæ, sensus intimus. Directio intuitus in ipsas ideas, adtentio: Attentionis continuatio, reflexio: Facultas reproducendi ideas olim habitas, phantasia: Ipsa reproducacio illarum, imaginatio dicitur: gaudet proinde mens nostra facultatibus sentiendi externa, interna, intima, adtendendi, reflectendi, & imaginandi.

6. Nostras de rebus cognitiones dicimus obscuras, claras, confusas, distinctas, incompletas, completas pro numero notarum discriminantium in iis observatarum. Si nullum, aut vix aliquid discrimen advertimus, obscura: Si aliqua, que sufficiunt ad rem cognoscendam, & ab omni alia discernendam, clara: Si paucæ, confusa: Si plurimæ, distinctæ: Si tamen non omnia incompleta: Si denique omnia cognoscimus discriminata, cognitione, seu idea nostra dicitur completa: Patet inde nostras de rebus cognitiones non posse nobiliores esse ideis, quas de rebus istis habemus.
7. Rerum discrimina noui, nisi per attentionem continuatam adverti possunt: hinc tantum ope reflexionis distinctas rerum ideas seu cognitiones adquiri palam est.
8. Facultas confusis rerum cognitionibus terminata, facultas cognoscendi inferior: ad distinctas completasque rerum notiones ope reflexionis cluctari potens, facultas cognoscendi superior audit: utraque prædicta est mens nostra.
9. Bonum cognitum adpetere; malum vero aversari mens nostra potest: facultas hæc adpetendi aut aversandi inferior dicitur; si cognitione tantum confusa: superior; si distincta præcesserit.

10. Ad omnem
perientiam
senioriam
portionem
animæ se
exorta in
hoc medi
d) Percep
seu idea /
principiis
immediata
merita
11. Pro lu
moverat
vel alia
vera; q
nullum in
habentur
non ge
talem
benivis
12. Mundu
beatitudi
tate ig
elementa
Aliqua
hyste ac
passiva
bac ad
stentiae




10. Ad omnem sensationem exteriam requiruntur teste experientia a) actio seu impressio objecti sensibilis in organa sensoria proportionata b) Motus fibrarum organi proportionati analogus, & ad cerebrum, ipsamque in eo anima sedem propagatus. c) Idea seu perceptio in membra exorta inde, representans immediate motum organi, & hoc mediante motum objecti externi, ferentis organum. d) Perceptio & conscientia in sensu interno de ipsa idea, seu idea sensualis, quae sola ultima mens ipsi, cum propria ipsis modificatio inest: & quum idea omnis aut immediate, aut mediate per sensus obtineatur; innata merito rejicitur.
11. Pro lubitu possumus nunc huic, nunc alteri objecto admoveare organa sensoria proportionata; adeoque harum vel aliarum praesentia dicto sensu nobis est libera; quae sepe sunt de rebus prorsus disparatis, nullum inter se nexus neque a priori neque a posteriori habentibus: Mens igitur sola ex determinatione essentiae non generat ideas sensuales; quod ipsum sensus intimi, talem generationem sicuti conscientias ipsas testari debentis, defectus confirmat.
12. Mundus hic corporeus medium est per se aptum ad veram beatitudinem creaturæ rationalis promovendam; bonitate igitur respectiva gaudet: bac vero careret, nisi elementa pollerent vi activa determinandi ideas sensuales. Aliqua proinde vis activa in ipsam animam elementis hisce abjudicari nequit. Ipsa adeo mens facultate bac passiva recipiendi ejusmodi in se actionem perficitur, & bac admissa optime explicatur idea sensualis genesis, existentiae objecti externi, tanquam alicuius ab ipsa mente atque



arque idea sensuali distincti, cognitio. Leges idearum
barum adsignabit Defendens.

13. *Sensu intimo experimur, adtentio intuitum non semper respondere impressioni fortissimæ, immo nos modo ad hoc, vel aliud objectum, modo ad hanc, vel illam objecti compositi partem illam pro lubitu dirigere posse: evidens ergo est, adtentio intuitum non in reactione repulsionis analoga, eaque omnium maxima consistere, ut voluit Cl. Robinet.*
14. *Quum verum singularium extra nos existentium imagines nobis representatae, idea, dicantur: intuitus vero in his, quæ singulas a singulis discernamus conscientia vel cogitatio prima sit: quum denique intuitus ille reflexus, quo conscientias primas ab ideo, earumque objectis discernamus ceu aliquid nostri, conscientia seu cogitatio secunda adpelletur; patet nos dupli modo cogitare posse, directe scilicet & reflexe.*
15. *Directio intuitus in ipsas ideas, adtentio est, & hec continuata reflexio dicitur (exposit. 5.) tam prima igitur, quam secunda conscientia per adtentio generatur. Quum vero ex sensu intimo constet, eandem esse mentem nostram, quæ totius objecti compositi, vel sensibilis conscientiam nanciscatur ope adtentio ita, ut, quod unius partis objecti conscientiam est, conscientiam etiam sit partis alterius, & totius compositi: Quum contra si adtentio intuitus motus foret plurium elementorum simplicium, unum compositum efficientium; sicut plures essent motus partiales in pluribus elementis, ita deberent esse plures conscientiae partiales in singulis ipsis, & nullum eorum totius objecti posset esse conscientiam; quia*

in



in nullo eorum omnes isti motus collecti forent: conseq-
uenter aduentio tam primam, quam secundam conscientiam
generans non potest consistere in motu plurium
elementorum simplicium; adeoque in simplice tantum
substantia existere potest.

26. Quin, quum diversi motus in una eademque individua
compositi parere esse nequeant; conscientia vero sit qua-
dam in perceptionem ipsam reflexio: adeoque conscientia
& perceptio inter se aliquo saltim modo distinguantur,
& propter hanc distinctionem diversos ad se producen-
das motus requirent: ne partialis quidem conscientia
individuo ejusmodi compositi elemento inesse potest.
27. Quodsi etiam gratis interim transmisereretur, singula
elementa singulas habere perceptionum suarum singula-
rum conscientias; nullum tamen illorum posset habere
conscientiam illius, qua in altero est, perceptionis:
quum cogitatio quavis recipiatur in ente, a qua pro-
ducitur, adeoque elementum quodvis sibi, & non alteri
cogite.
28. Ridendi sunt etiam ii, qui individuas materiae partes
suis sibi mutuo perceptiones manifestare posse contendunt
quemadmodum homini homo sua cogitata patefacit.
Hec enim manifestatio materiae per communicationem
motus fieri debret. Pone ergo, accendant ad se mutuo
ejusmodi duo materiae puncta per motum sibi perceptio-
nes suas communicatura: impingant in se ex viis oppo-
sitis, viribus equalibus. Elastica nisi erunt; destrue-
tur motus omnis, adeoque perceptio, & igitur nulla
erit communicatio. Elastica si fuerint; punctum quod-
vis tantum de motu, ac proinde etiam tantum de per-
ceptio-



ceptione, hujusque conscientia deperdet, quantum communicat alteri: nunquam igitur eam, quam habet, sed immutatam perceptionem communicabit. Hoc autem omnino aliter in mente nostra se habet sive ipsius perceptionis sibi conscientia. Addit communicationem ejusmodi moram postulare saltim aliquam, quam tamen non experitur mens nostra. Et demum homo, cui manifestantur cogitata ab alio, se nunquam periret esse ens unum cum manifestante, neque manifestans cum eo, cui manifestavit: contrarium rursus in mente nostra est.

19. Si ad unam mearum perceptionum accedat alia; prior non mutatur: & si plura simul percepta singillazim considero; manent eadem: ego mens nostra perceptionum suarum eo, quo in singulis partibus sunt, modo sibi conscientia est.
20. Ex positione decima sexta paret, nec singula materia puncta posse habere conscientiam integrum totius objecti a nobis percepti; quod evincitur etiam ex absurdo, quo sequentur tot esse animas, quorū essent simplicia in nobis istius materiae ad cogitandum apta puncta.
21. Judicium (ex Logica) est annulus mentis identitati, aut distinctioni duarum idearum inter se praestitus. Ad ferendum igitur quodvis judicium requiruntur notiones a) subjecti, b) praedicati, c) utriusque inter se identitatis aut distinctionis. Quodsi igitur judicare materia posset, praeter motum illum, quo annueret identitati aut distinctioni duarum idearum inter se requirerentur adhuc alii tres diversi motus, queis scilicet ideam subjecti, deinde praedicati, & demum utriusque inter se dis-

aut



aut convenientiam cognosceret: requirerentur itaque in uno eodemque individuo materiae puncto quatuor motus diversi, uno eodemque tempore praesentes, quod prorsus esse contra physicas motuum leges; in aprico est. Materia igitur, sicut nec simplices habere potest perceptiones, barumque simul conscientias, ita nec judicare valer.

22. Actus mentis, quo ex identitate aut distinctione duarum idearum cum quapiam tertia illarum identitatem aut distinctionem inter se colligo, ratiocinium est. Ad quodvis proinde complectum ratiocinium tria requiruntur iudicia: Haec &que sicut idearum perceptiones in motione materiae consistere nequeunt; ergo nec ratiocinium motu materiae enasci ullum potest.
23. Ex hac tenus positis abunde liquet, nec individuum materiae punctum unicum, nec plura seorsim spectare cogitare posse. Quum vero ante multos annos prateritorum reminisci adhuc valcamus, & particulis aliis atque aliis corpore sublatis, & aliis in illarum locum substitutis, idem experimur ens illud, quod in nobis cogitat; Particulae individuae in massam collectae seu corpus nostrum cogitare non potest.
24. Actiones omnes sunt substantiarum & non modorum, compositio modus duntaxat est, vis itaque cogitandi in compositione corporis nostri consistere nequit.
25. Corpora alia non cogitant, ergo & nostri corporis affectio essentialis vis cogitandi esse nequit. Immo nec organizatio, utut artificiosa, bac vi affecta esse potest. Est enim ea compositio & quidem materiae ad cogitandum prorsus inepta pariter inepta.

- ¶
26. Vis cogitandi incompossibilis est cum proprietatibus materiae cognitis; ergo frustra refugium quarunt Materialis philosophi in proprietatibus illius incognitis.
27. Compositum nullum cogitare potest; potest autem anima; ergo simplex est ea.
28. Nullum materiae punctum etiam simplex cogitare potest etiam materialia, multo minus spiritualia, ad omnem statum sui mutationem ab externo determinanda est materia: anima se determinare ipsam potest, potest cogitare materialia & spiritualia, simplicia & extensa: est igitur ipsam spiritualia.
29. Spiritus est substantia intellectu & voluntate praedita; mens itaque nostra spiritus est.
30. Motus variii ad arbitrium animae in variis corporis partibus exortiuntur, & cessant: certis pariter motibus corporis, anima etiam inscia aliunde exortis, continuo convenientes percepciones passivae & mutationes in mente respondenti: arctissima proinde inter actiones mentis & corporis harmonia est.
31. Quando ex arbitrio animae motus corporis consequuntur, experimur intime, semper intervenire conatum mentis nostrae, & quidem illi, quem intendit, motui commensuratum. Quodsi motus iste in corpore re vera mentis nostrae actione fieret; quam mens tantum actiones suas immanentes sentire possit, & solus iste conatus non vero illius effectus, motus videlicet, illi sit internus: sequitur alium non posse sensum intimum esse; etiam si re ipsa mentis nostra actione motus isti in corpore efficerentur.
32. Quum agere sit esse rationem realitatis diversae, actione autem immanente aequa, ac transversa mentis in cor-

pus

¶

pus realitas quedam ob ipsa mente diversa existentiam obtineat; pater terminum duntaxat in utraque actions esse diversum, ceterum in genere actionis convenire utramque, atque ideo minime implicare.

33. Praejudicium ergo nudum est, per spiritum intelligere duntaxat substantiam vi intelligendi & volendi praedictam sine vi repellente & morice. Certe substancialia materiales motu suo & alias substancialia materiales ad motum concitare possunt, ut patet ex generalibus materialium legibus. Realitas igitur est vix motrix substantiae ignobiliori competens; quare igitur nobiliori scilicet menti nostrae non conveniat? Immo vi muneris sub ab auctore impositi, conservandi scilicet corpus & removendi ab eo res noxias, non modo summo jure competere, verum & necessaria esse talis movendi facultas videretur.
34. Neque vires cogitandi & movendi corpus ita sunt distinctae, ut duas substancialia realiter distinctas efficerent: sunt enim vires sibi mutuo subordinatae ad communem finem, ad ideas videlicet ope motus corporis, & ad cogitationes adquirendas ope intuitus in illas, adeoque in una eademque substantia compassimiles.
35. Actio elementorum in animam, cum actione mentis in elementa, in genere actionis transeuntis convenit, neque ulla ostendi potest inconvenientia inde secura; Si elementis tribuatur actio in animam: nihil ergo obstat, quominus & ipsa elementa agere in animam dicantur.
36. Systema influxus physici murui hypothesis est explicando corpus inter & animam commercio aptissima.

- ❧
37. *Systema assistentiae, uti & Harmoniae præstabilitate pluribus ex capitibus minus satisfacere videntur.*
 38. *Tournemineanum, quum supponat resistentiam corporis adversus animam sine actione concipi posse, contradictione laborat.*
 39. *Quum ens simplex partibus caret; si perit, ita perit; ut nihil illius remaneat: anima igitur non aliter, ac per annihilationem perire posset.*
 40. *Nulla causa creata annibilare quidpiam potest, quia annibilatio esset cessatio a conservatione, conservatio continua creatio, & sicut hæc, ita & ista non conveniet enti contingenti: Conservare propterea quum non possit ens contingens aliud; etiam annibilare non potest: nullum ergo ens contingens annibilare mentem nostram potest.*
 41. *Vis cogitandi vita est animæ ipsius essentiam constitutens; quare, sicuti per vires creatas existentia spoliari nequit mens nostra, ita nec vi cogitandi per eas privari potest.*
 42. *Mens a corpore etiam soluta proxime completa gaudet facultate, continuandi cogitationes & volitiones ope phantasie, memoria, acuminis, rationis, & voluntatis; quippe quibus propriis animæ virium naturalium actionibus nihil aliquin materiale seu in cerebro, seu in corpore per se immediate respondet, & ad quas omnibus rationibus possibilitatis gaudet ratione specierum phantasticarum, & simul rationibus sufficientibus existentia ob vires substantiales sensus interni, atque intimi, & adpetitus, immo & facilitate eas actiones producendi, ob habitus in vita humana adquisitos. Ad-*

de
ideas
tandi
43. Ex i
nis,
nam
1. Mundu
fium
2. Mar
&
riu
3. Neg
nec
4. Hanc
exif
aut
5. Sed
ate
6. Ele
ent
val
7. Natu
par
&
fari
8. Scam
biles




de mentem ab occurſu, incurſuque elementorum novas ideas excitatrices adquirere poſſe: Vis igitur iſta cogitandi non eſſet vis mortua, non impedita.

43. Ex infinitia Dei benevolentia etiam ad extra operantis, & providentia evidenter ſequitur, mentem humānam eſſe immortalem.

C O S M O L O G I C A E.

1. Mundus in genere bene definitur, quod fit unum compoſitum corporeum, continuum, heterogenetum.
2. Materia bujus mundi aſpectabilis eſt finita, mutabilis, & ratio ipsius vere ſufficiens eſt tantum ens neceſſarium.
3. Nequit ergo mundus exiſtere a ſe ipſo; ſed ſuam ab ente neceſſario exiſtentiam obtinere omniuo debuit.
4. Hanc tamen non ita obtinuit, ut ex materia aliqua p̄e exiſtente, aut atomis improductis fuifet configuratus; aut ex ipſa divina eſſentia emanarit;
5. Sed ita conditus eſt a deo; ut nec fit, nec eſſe poſſit ab aeterno.
6. Elementa corporum mundum hunc coniuentium ſunt entia simplicia, inextenſa, heterogenea, aliquo intervallo a ſe invicem ſejuńcta.
7. Natura bujus mundi ſibi relictā alias leges in agendo & patiendo ſervare non poſteſt, quam quas actu obſervat; & hoc ſenſu verum eſt dicere leges naturae eſſe neceſſariias.
8. Stante hac legum naturae neceſſitate effectus tamen poſſibiles ſunt, quorum ratio extra naturam querenda eſt;

quin



qui propere dici valeat, exinde leges naturae violari: bos effectus miracula vocamus.

9. Solus auctor naturae Deus patrare miracula potest virtutem propria; quam tamen et communicare potest angelis et hominibus: nunquam autem vel ipse facere, vel fieri per alios permittere in testimonium falsitatis.
10. De reali miraculorum existentia si queritur; caute ad modum est procedendum, et multa christi opus, usque statueris quidpiam pro parte aut adfirmando aut negante: Canones adsignabit Defendens.

EX PHILOSOPHIA PRATICA.

1. Philosophia practica est complexus regularum, quibus actiones nostrae ad veram felicitatem naturalem dirigantur.
2. Inest animis nostris perpetuus conatus, ad illam veram felicitatem promovendam: utrum vero stimulus iste φιλαυτας unicus sit actionum humanarum fundamentalis, quaestio est speculativa magis, quam practica.
3. Sive unicus, sive plures dentur stimuli actionum humanarum fundamentales; omnes isti subsunt rationi, nec tollunt libertatem.
4. Scientibus enim illis mens nostra ita libera manet, ut volitiones et nolitiones illius neque sint coactae, neque per stimulus, aut motiva ad volendum aut nolendum necessiterur.
5. Hanc libertatem si vocare placuerit indifferentem; non abuso: Ceterum neutiquam dici potest illustrem Leibnitium, quem epieborum illud libertatis respuit, verbis libertati favere, re autem ipsa tollere; Inimo ex ipsis scriptis oppositum eluces.

6.

6. Statu
veri
dio P
7. Vi inf
gere
8. Quan
felici
ni pr
9. Finis
run
10. Ad
ben
11. Nor
que
dista
12. Nor
pri
13. Ad
inb
ma
14. Fac
om
po
qua
Jah
15. Lex
hom
hum



6. *Status veræ voluptatis cognitus, felicitas; status aurem veri rædii cognitus, infelicitas: felicitas ab omni rædio pura, beatitudo dicitur.*
7. *Vi infinitæ sua benevolentiae Deus non potuit non præfigere beatitudinem homini, eamque libere consequendam.*
8. *Quum vero in bonorum creatorum nullo reperienda sit felicitas ab omni rædio pura; se ipsum præfigere homini pro fine debuit.*
9. *Finis ideo ultimus omnium actionum hominis deliberatarum est solus Deus.*
10. *Ad hunc proinde finem omnes alii intermedii dirigi debent.*
11. *Norma igitur actionum ad finem ultimum dirigendarum quedam a Deo constituta sit, oportet; qua homo dicat, libertate sua bene uti.*
12. *Norma ista debet esse recta, necessaria, universalis et prima.*
13. *Actus ejusmodi normæ conformis, honestus; difformis, in honestus dicitur: habitudo ipsa actus ad hanc normam, ipsius moralitas appellatur.*
14. *Facultas libera ad actionem aliquam committendam, vel omittendam salva rectitudine morali saltē negativa, potestas moralis vocatur; distinguitur ergo a jure, quod est facultas libera ponendi, & omittendi actionem salva rectitudine morali.*
15. *Lex naturalis est, lex æterna Dei per lumen rationis homini manifestata: complexus omnium legum naturalium, Jus naturæ dicitur.*



16. *Jus N. aeternum, necessarium, & quoad prima ac generalia præcepta est immutabile.*
17. *Nec Deus, licet illius auctor, proprie in illo dispensare potest.*
18. *Obligatio inde vera, ac universalis nulla epukia tollenda nascitur.*
19. *Objectum illius actus tantum humani sunt, non vero ii, quos scholæ vocant actus hominis.*
20. *Deus coli debet ab homine cultu in-Deo externo.*
21. *Secundum principia Juris naturæ non datur Religio dominans.*
22. *Intolerantismus jure naturæ prohibitus est: multo minus secundum jus naturæ puniri aliquis potest, si aliter, ac reliqui, credat.*
23. *Modus Deum colendi per jus naturæ determinatus non est.*
24. *Summa officiorum hominis erga se ipsum consistit in sua ipsius perfectione.*
25. *Intellectus scientiis, voluntas virtutibus perficitur: ad utrumque igitur homo vi I. N. obligatur.*
26. *Non licet se ipsum directe occidere: licet tamen periculo mortis ob finem honestum se se exponere.*
27. *Peccat contra Jus naturæ, qui curam membrorum & sanitatis per media aptæ conservandæ negligit: magis est peccatum illius, qui voluptatibus, crapula, inglorie, aut alio quovis modo eam pessimadat.*



28. Fortune media sunt ad vitam continuandam, feliciter transigendam, & ad bene de proximis merendum; quidni igitur moderata illarum cura I. N. præcepta sit?
29. Viæ, fortunarumque adgressorem injustum, quovis modo necessario, repellere; immo, si alius te, tuncque ab ipso defendere non possis, occidere licet.
30. Injuria inferens eam morte non deletur, nec bonos reflectitur: non ergo licet iniustum famæ adgressorem occidere; nec duello, privata auctoritate suscepto, de hore vindicando decertare.
31. Officia hominis erga hominem pro vario illius, in quo considerari potest, statu sunt vel absoluta, vel hypothetica.
32. I. N. absolute omnis lesio proximi sive in animæ, sive corporis, sive forturæ bonis prohibita est.
33. Hinc graviter contra Ius N. peccat, qui alterum perversa dogmata docet; aut vel verbis, vel scriptis, vel exempla ad vitia seducit.
34. Graviter etiam omnis injusta proximi vulneratio, mutilatio, & alia quævis in bonis corporis inferenda gravior injuria prohibetur.
35. Ex lege generali paulo ante tradita etiam patet, quid sentiendum sit ex I. N. de convitiis, calumniis, detractionibus, libellis infamibus, carminibus famosis &c.
36. Non solum Lesio omnis proximi est prohibita; verum & officia quedam ipsi præstanda positive præcepta sunt I. N.


- * * *
37. *Amare, ut scholæ loquuntur, in affectu & effectu omnes & singulos sine ullo Religionis discriminine debemus: hinc contra I. N. peccant, qui, quum sine damno, aut saltim cum exiguo id possunt, proximum in necessitate constitutum non adjuvant; aut mala ab eo non avertunt.*
 38. *Dominium est jus proprium de re pro arbitrio suo disponendi.*
 39. *Illiis introductio legi naturæ non repugnat.*
 40. *Modi dominium adquirendi rerum communium sunt occupatio & accessio; quæ circa utrumque observanda veniant, exponet Defendens.*
 41. *Res jam dominio subjectæ in alium transferri possunt
a) traditione a legitimo domino in alterum volentem & acceptantem, ac ipso jure non incapacem signis sufficienter indicantibus facta b) variis contractibus.*
 42. *Quid de testamentis, aut Praescriptionibus vi I. N. sentiendum sit, exponet Defendens.*
 43. *Contractu legitime inito standum est: mutuo ramen, per quem coaluit, consensu dissolvi potest.*
 44. *Error circa rei substantiam, non vero circa accidentem illius contractum virtutem.*
 45. *Vis aut metus gravis, injuste incussum, reddunt pactum ipso jure nullum pro arbitrio partis lœsa.*
 46. *Conjugium est verus coneractus inter marem & feminam initus, ad prolem suscipiendam & educandam, & ad murum contrahentium levamen atque solatium.*



47. Polyandria jure naturali prohibita: Polygamia successiva licita: simultaneam esse illicitam, ex primariis juris naturæ præceptis evinci non potest.
48. Nec ex iisdem evinci potest, matrimonium esse contratum indissolubilem.
49. Officia conjugum in genere consistunt in fide, amore & obsequio.
50. Officia mariti particularia sunt directio uxoris non violenta, sustentatio & defensio.
51. Officia uxoris particularia sunt obedientia obsequiosa & rei domesticæ fidelis administratio.
52. Jus parentum in liberos se exerit in personas, res & actiones illorum.
53. Officia parentum erga liberos consistunt in cura corporis, cultura animi, providentia pro futuro vitæ statu.
54. Quid tutores, instructores de Juribus & officiis parentum participant, exponet Defendens.
55. Servitus spontanea etiam stricte dicta juri naturæ non repugnat: nec ex justa causa ad servitutem quemdam cogi I. N. prohibet. Quid sentiendum sit de mancipiis Africanis & Americanis, sub christianorum potestate constitutis, ex iustitia aut injustitia modi, quo subacta fuere, repetendum est.
56. Heri est, familis præstare sincere, quidquid nomine mercedis pactum fuit, & eorum mores dirigere: familis contra incumbit, obedire prompte & servire fit deliter.
57. Origo civitatum ex libero popolorum consensu fluere viderur.

- * = = = *
58. Personæ imperanti debentur a) summa veneratio, b) unquam violanda securitas, c) congrua dignitati sustentatio, unde jus necessaria tributa & veſtigalia imponendi, d) certa quedam jura populi olim communia, quæ sine damao positivo auferri ab aliis possunt.
 59. Principi jus competit, leges iustas ferendi, pœnas in transgressores statuendi, & exequendi, nisi jure adgrediandi, sub certis limitibus iusto uti velit.
 60. Jus in sacra Principi I. N. denegari; tribui aut circa sacra adserimus.
 61. Princeps potest commercium cum gentibus exercipit instituere, illudque certa ratione limitare.
 62. Jus repressaliarum moderatum adversus alterius Principis subditos bene exercetur a Principe: hoc jus detractus, Albintagii &c. referimus.
 63. Quæ circa Legatos iure Gentium observanda sunt, rogatus enarrabit Defendens.
 64. Fœdera legitime inita sancte servanda sunt Principi.
 65. Bellum defensivum servato moderamine semper licitum, nec illicitum est offensivum ex causa justa suscipiendum.
 66. Officia Principis potiora sunt. 1) Zelus moderarus Religionis, 2) cura morum & honestatis, 3) Cultura scientiarum & artium, 4) Cura annonæ, 5) Cultura commercii, 6) Cura quietis & tranquillitatis publicæ.
 67. Subditorum in genere est, 1) legibus sufficienter promulgatis obedire 2) impositiones legitime factas præstare, 3) in amore patriæ & concordia cum suis civibus vivere?
 68. Quæ sint diversarum subditorum classium officia, recensabit Defendens.
-

ma severa, 4) gravas digitum, 5) cibas & medicinas populi sibi conseruare debili pos-
sunt, possunt ut
sunt jure adi-
gitum.
12. tribus autem
civium exercitus
aut, per diversa Pro-
prietate, locis in se-
cunda fuga, re-



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

	Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
R	G	B																	

